BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 L
M 6
3.
12
Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
12.3.39

DE FALSA SAPIENTIA
SEU
DIVINARUM INSTITUTIONUM ADVERSUS GENTES
L. CÆLII LACTANTII FIRMIANI
LIBER III.

RECENSUIT, VARIANTIBUS LECTIONIBUS, ANNOTATIONIBUS, CASTIGATIONIBUS, AC DISSERTATIONIBUS ILLUSTRAVIT

F. EDUARDUS A S. XAVERIO C. E.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, cIↄ. Iↄcc. LVII.
EX TYPOGRAPHIA ANGELI ROTILII
In Ædibus De Maximis

SUPERIORUM PERMISSU.

Em̃o , ac R̃mo Principi

AGAPITO
S.R.E. CARDINALI
MOSCA
DOMINO, ET PATRONO
MUNIFICENTISSIMO.

P. EDUARDUS A S. XAVERIO SALUTEM
PLURIMAM DICIT.

MAxime mihi quidem, & multas ob cauſſas ſemper optatum fuit, meum Tibi, Eminentissime Princeps, debitum ſtudium, atque grati animi monumentum aliquod congruenter exhibere; numquam tamen

Digitized by Google

quicquam TE dignum repperi, quo id, quemmadmodum optabam, melius præſtare poſſem, quam quum librũ hunc tertium Divinarum Inſtitutionum Lactantii noſtri, commentariis auctum, typis excudendum eram daturus. Ejus quippe titulus, qui *de Falſa Sapientia* eſt, animum meum advertit, ſe luculentius illuſtrari poſſe a nemine, quam ab eo, in quo & veræ ſapientiæ lumina, & virtutum omnium ſpecimina coruſcarent. Quamobrem quum in TE mirifice iſta ipſa nitidiſſimum undique fulgorem ſpargant, opportune mihi in ipſo tempore ſeſe oſtenderunt, quo & officii erga TE mei

par-

partes aggredi poſſem; & eximium Lactantiano operi patrium ſplendorem addere conccederetur. Quamquam enim incomparabilis animi Tui moderatio, ne id pertentarem, omnino prohibuiſſet, utilitas tamen publica id obtinuit, quod grave Tibi alias futurum, non obſcure ſignificaveras.

Verum neque Modeſtiæ Tuæ quicquam verendum erat: talibus ſiquidem ſermonem meum temperabo laudibus, ut ipſa gaudere queat, quum non ad Tui nominis gloriam augendam, cui per me acceſſio nulla fieri poteſt; ſed potius ad veram ſapientiam vindicandam, id a

me factum eſſe ; intellexerit. Quo quidem principio iccirco libentius utor, quod mendax illa paganorum ſapientia quam Philoſophi deperire profitebantur, eo tandem illorum animos impulit, ut nullum majus bonum ſuis conatibus exquirerent, quam aut vanam apud homines gloriam, exiſtimationemque nanciſcerentur, aut imaginaria quadam potirentur beatitudine. At quum præter id, majus aliud præmium mortalibus proponere noviſſet nullum, neque ſectatorum ſuorum mentes ad altiorem finem aliquando valuit extollere, neque ad illum unum, & ſummum potuit ullo conatu componere. Hinc

Hinc diſparatæ, ac tantopere circa ſummum hominis bonum inter ſe repugnantes opiniones emerſerunt; quæ demum eo collinearunt omnes, ut id vel in naturæ arcanis perſcrutandis, vel in vitæ humanæ commodis, voluptatibuſque hauriendis, vel tandem in virtutum umbris consenctandis, collocaverint: idque tanto ſunt amore proſecuti, ut fallaci quacumque ſpecie illius capti potius quam potiti, ſatis ſe vixiſſe arbitrarentur; quod omne hominis officium præclare ſe jam adimpleviſſe prædicarent.

Germanam hanc totius Ethnicæ Philoſophiæ ſummam liber iſte, Tuo inſcriptum nomini,

 con-

continet, CARDINALIS AMPLISSIME, eamque ab origine detectam, omnique larva expoliatã, ipſa ignorantia pejorem fuiſſe, ob eam potiſſimum cauſſam oſtendit, quod non tantum veritatem obtenebrat; verum etiam ſummi boni rationem labefactat, & propriæ utilitatis, voluptatiſque fœcibus labefactatam, ſub honeſtæ, atque cum humana natura congruentis converſationis obtentu, incautis mortalibus obtrudit. Illam itaque, qua valuit eloquentiæ vi, ac veritatis æternæ præſidio fretus, exagitandam aggreſſus eſt Lactantius, nec niſi profligatam, ac e faſtigio dejectam, perſequi ali-

aliquando deſtituit, ut loco illius genuinam humanarum, divinarumque rerum ſcientiam ad priſtinam ſibi inique ereptam ſedem revocaret, errantibuſque illius quæſitoribus oſtenderet contemplandam.

Ego vero quum vivam, ingenuamque iſtius diu mihi adumbrari optaſſem imaginem, unaque comprehendere, quid in homine poſſet efficere, in TE tandem inquietæ mentis meæ acies quievit. Quem illam ab incunabulis ſuſcepiſſe formandum, in adoleſcentia foviſſe, in juventute ornaſſe, in virilitate decoraſſe, atque in ſenectute bona venerabilem reddidiſſe,

a TE hactenus res præclariſſimæ geſtæ ſatis ſuperque demonſtrant. Ex quo enim in Chriſti militiam nomen TUUM dediſti, TECUM Religio, Pietatis amor, morum integritas, cordis benignitas, & ad bonum nata docilitas adoleverunt, eiſdemque in TE jacta virtutum ſemina, tamquam irriguis irrorata humoribus, flores, fructuſque uberrimos non ſolum geminare ſunt viſa, ſed etiam tantam tibi gratiam compararunt, ut quotquot TECUM agere conſueverunt, miræ conſenſionis, ac benevolentiæ vinculis TIBI arctiſſime copulaverint, eademque charitas erga animas, cinereſque illorum

in

in Te vigeant, ſi ad plures abierunt, vel ſi inter vivos perſeverant, perfecto adhuc fervore ardeat, & mutuis in dies ſeſe perennet officiis.

Plurimos ſane cum in Italia, tum in Gallia, Polonia, ac univerſa Germania, quas admodum juvenis in honorificas expeditiones miſſus peragraſti, recenſere poſſem viros omni laudum genere digniſſimos, quibuſcum hujuſmodi habuiſti neceſſitudinem, & inter primos eſſet Laurentius Fliſcus, virtutum fama eximius, cui ad Ludovicum XIV. Galliæ Regem proficiſcenti, pro pace inter Europæ Principes firmanda, a Latere

Summi Pontificis extra ordinem Legato, comes, honoriſque particeps fuiſti adjunctus, ab eoque unice ſemper dilectus. Præteriri minime deberent Johannes Baudrius, religioſiſſimus Brixienſis Eccleſiæ Paſtor, ac Chriſtianus Auguſtus è Saxoniæ Ducibus, egregius catholicæ fidei in Germania vindex, zelo, decore, ac dignitate Eminentiſſimi, qui etſi numquam antea cogniti, quum tamen e manibus Tuis purpurati Ordinis inſignia recepiſſent, æternum Tecum amicitiæ fœdus pepigiſſe, probatis viris teſtatum reliquierunt. Inter ſuperſtites, ut reliquos omittam, BENEDICTUM hunc PONTI-

TIFICEM O. M. Quem nuper in ſummo vitæ diſcrimine conſtitutum jugibus ad Deum fuſis precibus incolumem reddi, diuque ſervari optavimus, & pro ſervato maximas æterno Numini gratias reddimus, ſi ignotum foret, teſtem appellarem, utpote qui Te inter primarios Baſilicæ Principis Apoſtolorum Proceres collegam nactus, individuum pene ſocium habuit, & ſemper maximopere & dilexit, & diligit.

Sed quid iſta commemorem? Non eſt ſane mirandum quod extraneis adeo charus extiteris, qui Gentilibus Tuis, Te ſemper amabiliſſimum tribuiſti. Neque

hæc

hæc Piſaurenſium Civium Tuorum ſolummodo fuit ad Te diligendum propenſio, ſed eorum omnium, ad quos Aemylia ducimur via, & qua per lætiſſima Hadriaci maris littora ad Urbem reducimur, quibus Te, inter Aulæ Romanæ Præſules cooptatum, vel aquis curandis Præſidem, vel Moderatoris munere fungentem, ſedulum, providumque Rectorem CLEMENS XI., ſanctiſſimus conſobrinus Tuus, incredibili populorum illorum utilitate, & lætitia conceſſit. Te jam Picenum noſtrum, Civemque ſuum amantiſſimum receperat, & poſt Æſinam vetuſtiſſimã Urbem, alma Lauretanæ Virgi-

nis

Digitized by Google

nis Urbs ſimul, & Domus Prætorem experta clementiſſimum erat, Tuque dum Civitatem illam moderabaris, Deiparæ patrocinio fretus, impigram utrique alacri animo navabas operam;quum Eccleſiæ totius clavo Benedictus xiii. Divino conſilio admotus, Te, ad Urbem hanc Orbis principem accitum, Cameræ Apoſtolicæ Præſidem conſtituit, moxque ejuſdem judicibus adjunxit, majora collaturus, niſi, morte intercedente, Cementi xii. ſucceſſori ſuo meritiſſimo hæc Tibi tribuenda reliquiſſet.

Is itaque promeritam Tibi purpuram injecit, quam & ipſe ab

ab amitæ Tuæ filio receperat, & abs Te illuſtriorem aliquando reddendam fore, dicitur prædixiſſe. Sciebat enim ille maximo vir ingenio, quanta judicii, ac prudentiæ maturitate polleres, ideoque Legationem Tibi Ferrarienſem, Civium diſcordia perturbatam, tranſitu exterorum militum in ſumma annonæ caritate oppreſſam, atque hoſtilibus Gallorum, Hiſpanorumque ex una, Auſtriacorum Germanorum ex altera parte conflicantium armis viciſſim circumſeſſam, difficillimis temporibus adminiſtrandam demandavit. Nec ſapientiſſimi Principis propoſitum fefellit exitus; tanta

enim

enim vigilantia, & cura Provinciæ, Populo, rebuſque omnibus conſuluiſti, ut nec cives alimenta deficerent, nec extranei commeatus neceſſaria deſiderarent: & quod maximum jure dixerim, tua authoritate, atque dexteritate factum eſt, ut nec armorum ſtrepitus, aut flagrantia partium ſtudia quicquam publicæ, vel privatæ ſecuritatis minuerent, nec tranquillitatis beneficio frui quemquam impedirent. De quibus propterea quum tam ſalubriter conſulueris, non expediens tantum, ſed neceſſarium viſum eſt, illam Tibi in aliud Triennium prorogare, aliamque inſuper adjicere, qua Mariam Saxonum Ducis, ac Polonorum

Re-

Regis filiam, ad Carolum Borbonium utriuſque Siciliæ Regem, ſponſam longo itinere properantem, Pontificio nomine, hoſpitio exciperes, Apoſtolica benedictione munires, ſacris muneribus donares, eidemque graviſſima, quæ tunc agitabantur, Sanctæ Romanæ Sedis negocia, efficaci, ac proſpero commendares eventu.

Hinc jam tertio, ut illuc a Latere Legatum redires, rariſſimo exemplo, BENEDICTUS XIV., decreveverat, & ſæpe ſuadere conatus eſt; ideo in TE id recuſante, nō uſus imperio, ne renuente TE id voluiſſe videretur, quod abs TE minime probatum iri cognoverat; miratus tamen, TE illam

pro-

provinciam admodum diffici-
lem alacriter ſubjiſſe; feciliter ta-
men ope TUA diſpoſitam, faci-
lemque redditam, recuſaſſe. Hæc,
& alia, quæ poſt TUUM in Urbem
reditum prudenti, temperata,
æqua, ac conſtanti ſemper ratio-
ne a TE acta ſunt, veræ ſapien-
tiæ ſpecimina eſſe, nullus ibit in-
ſicias: manifeſtum quippe eſt,
illam hominem ſic diſponere, ut
non ſibi honores quærat, ſed ab
honoribus, dignitatibuſque quæ-
ratur; quibus ſi ſemel ſe addixe-
rit, non mancipatur, non fran-
gitur, non flectitur, non extol-
litur; ſed eos animi magnitudine
regit, gravitate firmat, authori-
tate munit, & tali aurigatur ſa-
gacitate, ut ab extremis recedens,
me-

medias virtutis ſemitas, nullo errore, nulla violentia, nullaque rerum difficultate victus terere deſiſtat.

Utere itaque, quemmadmodum hactenus uſus eſt, tam grandi divinæ Beneficentiæ dono ad majorem æterni Numinis gloriam, ad Catholicæ Eccleſiæ augumentum, atque ad communem humani generis utilitatem, & me ipſum, ut ſoles humaniter, benigneque inter clientes Tuos retinens, quæ Lactantius noſter uberrime docuit, verbiſque eleganter expreſſit, ipſe pergas egregis illuſtrare exemplis, validoque patrocinio tueri.

Dabam Romæ ex Collegio noſtro S. Mariæ de Victoria A. D. Id. Januar. MDCCLVII.

J. ✠ M.

FR. RAYNALDUS MARIA A S. JOSEPH *Præpoſitus Generalis Carmelitarum Diſcalceatorum Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatiſſimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejuſdem Sacri Montis Prior.*

TEnore præſentium facultatem impertimur Reverendo Patri Eduardo a Sancto Franciſco Xaverio Sacerdoti Profeſſo Provinciæ Noſtræ Romanæ imprimendi Opera omnia Lactantii Firmiani cum Notis, & Diſſertationibus ſuis a duobus e noſtris Theologis, recognitis. Datum Romæ in Conventu noſtro SS. Thereſiæ, & Joannis a Cruce predie Kalendas Decembris 1753.

Fr. Raynaldus Maria a S. Joſeph
Præpoſitus Generalis.

Fr. Pius a S. Dominico Secretarius.

AP-

APPROBATIO OPERIS.

DIvinarum Inſtitutionum Libros ſeptem a Caelio Lactantio Firmiano acri judicio conceptos, ſtyloque eleganti exaratos, atque unico volumine comprehenſos, poſt tot editiones ab aliis exornatos, modo in lucem publicam profert Admodum Rev. Pater Eduardus a S. Xaverio Carmelitici Ordinis Diſcalceati Alumnus, quondam Sacræ Theologiæ Prælector, atque inter Supremæ Sac. Inquiſitionis Cenſores adſcitus, notis auctos eruditione multa cum Sacra, tum profana refertos, ac in ſeptem tomos diſtinctos; quos Jubente Reverendiſſimo Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro Patre Joſepho Auguſtino Orſi Ordinis Prædicatorum, magno animi mei oblectamento a capite ad calcem uſque ſedulò luſtravi, atteatèque inſpexi, nihilque, quoad eruditum Editorem attinet, invenire potui, quod Fidei adverſetur Catholicæ, boniſque moribus ſit contrarium, ac in Summos Principes injurium. Ubi ſe offert occaſio clariſſimus Author Veræ Fidei inconcuſſa dogmata, atque Sanctæ Eccleſiæ vetuſtos ritus vindicat, ac tuetur, a deliriis, & impoſturis Eterodoxorum, quos ſic impiè obloquentes charitativè admonet, ac blandè adhortatur, ut relicta via, quæ ducit ad Tartara, eam ineant, quæ iter pandit ad gloriam. Imo ſi in Textu Lactantiano aliquid offendit, quod ad juſtam Fidei regulam non ſit exactum, vel a Fide ipſa exorbitet, fatetur aperte, aſſeritque, Lactantium in Millenariorum errorem prolapſum, eumdemque erraſſe in libro in ſcripto *de Vita beata*, ubi loquitur de Elia, nulla prorſus mentione facta de Enoch contra librum Apocalypſeos. Quòd in aliis approbationibus librorum a noſtro Authore editorum abſue ulla aſſentationis umbra me dixiſſe, memini, idipſum repetere, ac confirmare in hacce præſenti jure debebam. Sic ſentiebam

bam ex Aedibus S. Patris Franciſci ad Ripas Tyberis octavo Kalendas Septembris anno reparatæ ſalutis ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto ſupra milleſimum.

F. Franciſcus Antonius à Colle-Longo Ordinis Minorum Strictioris Obſervantiæ S. P. Franciſci Sac. Theologiæ Lector emeritus, ac Sacrorum Rituum Congregationis Conſultor.

APPROBATIO OPERIS.

QUod auctoritate Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtri injunctum mihi fuerat, perfeci, maxima, qua potui, ſcilicet, diligentia perlegens Commentaria, & Diſſertationes, quæ in ſingula Lactantii Firmiani opera elaboravit vir eruditione præſtans Pater Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio excalceatus Carmelita. In his, magna animi voluptate, ingenii acumen, doctrinæ robur, ſcribendi elegantiam, argumentorum vim, & copiam, atque facundiam inſpexi; neque quidpiam, ullibi, obſervare mihi licuit, quod Catholicæ Fidei, honeſtiſque moribus repugnaret: quare ſi, publici juris fiant arbitror plurimam inde legentibus utilitatem provenire poſſe. Romæ ex Monaſterio S. Agnetis extra Muros Urbis die IV. Aprilis anni 1753.

D. Thomas Rita Præſes, & L. Emeritus.

APPROBATIO OPERIS.

ERuditione, Doctrina, Methodo, Diligentia, cæteriſque Dotibus, quæ Authorum ſcripta commendant, abunde coruſcant Commentaria, & Diſſertationes, quæ in omnia Lactantii Firmiani Opera Vir Cl. P. Eduardus Franceſchini a S. Franciſco Xaverio

elucubravit, & non vulgari cum ſuis Nominis Gloria editurus eſt. Quapropter quum jubente Reverendiſſimo P. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Opus integrum attente perlegerim, & nihil in eis, quod Fidei Dogmatibus, aut morum integritati adverſetur, invenerim, Typis vulganda cenſeo. Romæ ipſis Kal. April. Anni 1754.

Michael Joſeph Morei Arcadiæ
Cuſtos Generalis.

Imprimatur,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. M. de Rubeis Patriar. Conſtantinop. Viceſgerens.

Imprimatur,

Fr. Vincentius Elena Magiſter Socius Reverendiſſimi Patris Sacri Palatii Apoſtolici Mag. Ord. Prædic.

L.CÆ-

L. CÆLII LACTANTII FIRMIAMI

Divinarum inſtitutionum adverſus gentes,

LIBER TERTIUS.

DE FALSA SAPIENTIA,

CAPUT I.

1.

Vellem mihi, (quoniam [a] veritas in obſcuro [b] latere adhuc exiſtimatur, vel errore, atque imperitia vulgi, variis & ineptis ſuperſtitionibus ſervientis, vel philoſophis [c] pravitate ingeniorum turbantibus eam potius, quam illuſtran-

a *Vellem mihi quoniam &c.* Pro *quoniam*. Al. *quan-*

tibus) etſi non qualis in M. Tullio fuit, quia præcipua, & admirabilis fuit, aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem: ut quantum veritas vi ſua propria valeat, tantum ingenii quoque viribus nixa, exereret ſe aliquando: & diſcuſſis, convictiſque tam publicis, quam eorum, qui ſapientes putantur, erroribus, humano generi clariſſimum lumen inferret.

quando. In diſſertationibus noſtris egimus de Lactantii ſtylo, ibique, inter cætera, quæ obſervavimus, illud eſt, authorem noſtrum, Oratorum perfectiſſimorum more, in omnibus libris ſuis ita ſe gerere, ut nihil eorum omittat, quæ ad perficiendam, ornandamque orationem apta ſunt, & neceſſaria; quare juvenes, qui eloquentiæ ſtudent, præſertim exordium hocce perpendant; in quo tot oratoria lumina ſunt quot periodi.

b *In obſcuro*: Mira ſæculi noſtri felicitas, qua omnia clare, ac dilucide exponi dicuntur a novatoribus, quibus ſi credas, lucem inter, & tenebras nihil diſtare putabis.

c *Philoſophis &c.* Hæ jam rediere dies. Vide Iſag. noſtram §. XIII. ſeq.

2.

Quod quidem duabus ex cauſſis fieri vellem [a]: vel quod magis poſſent credere homi-

a *Duabus cauſſis fieri vellem*. Al. *duabus de &c.* Et quidem utraque digna eſt non ut deſideretur ſolum, verum etiam ut eloquentiæ vis adhibeatur; Ii enim

mines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu, lenocinioque verborum: vel certe, ut ipſi philoſophi ſuis armis potiſſimum, quibus placere ſibi, & confidere ſolent, opprimerentur a nobis.

---

enim, qui a veritate non abhorrent, primum alliciendi ſunt ad eam recipiendam, ii autem, qui eam ampleƈti recuſaverint, argumentorum pondere ad id compellendi ſunt, aut demum ita opprimendi, ut eam non amplius valeant oppugnare; quod egregie præſtitit Laƈtantius.

3.

Sed quoniam [a] Deus hanc voluit rei eſſe naturam [b], ut ſimplex, & nuda veritas eſſet luculentior, quia ſatis ornata per ſe eſt, ideoque ornamentis extrinſecus additis fucata, corrumpitur: mendacium vero ſpecie placeret [c] aliena, quia per ſe corruptum vaneſcit, ac diffluit [d], niſi aliunde ornatu

A 2 quæ-

---

a *Sed quoniam*. Alii *verum quia*.

b *Deus hanc voluit rei eſſe naturam*. Ut nimirum appareret, non eloquentiam viciſſe mundum, ſed veritatem revelatam à Deo, & fidem credentium ſecundum illud 1. Jo. c. v. verſ. 4. *Hæc eſt viƈtoria, quæ vincit mundum, fides noſtra*. Adde Minuc. Felicem cap. XVI. Cyprian. l. II. Epiſt. II. ad Donat. Orig. l. III. contra Celſum, & Arnob. l. I. apud quem Gentiles dicebant: *barbariſmis, & ſolæciſmis obſitæ ſunt res veſtræ &c.*

c *Placeret*: Sic Aldus, & plerique boni. Al. *placet*.

d *Ac diffluit*: Sic iidem, qui ſupra. Al. *defluit*.

quæſito [e] circumlitum fuerit,ac politum: æquo animo fero, ingenium mihi mediocre eſſe conceſſum [f].

e *Niſi aliunde ornatu quæſito &c.* Bon. *niſi ornetur quæſito &c.* ſine ſenſu Aldus: *niſi ornetur. Verum.*
f *Eſſe conceſſum.* Al. *fuiſſe C.*

4.

Verum ego non eloquentiæ, ſed veritatis fiducia ſuſcepi hoc opus, fortaſſe majus, quam ut poſſit meis viribus ſuſtineri: quod tamen, etiamſi ego defecerim, Deo, cujus eſt hoc munus, adjuvante, veritas ipſa complebit.

5.

Etenim quum ſciam maximos quoſque [a] oratores a cauſidicis mediocribus ſæpe victos, quod tanta eſt potentia veritatis, ut ſeipſam [b], quamvis in rebus exiguis, ſua claritate defendat: cur hanc ego [c] in maxima cauſſa ab ingenioſis quidem illis, ac diſertis viris, ſed tamen falſa dicentibus, oppreſſum iri putem?

Ad

a *Quoſque.* Al. *quoque.*
b *Potentia veritatis, ut ſe ipſam &c.* Cicero pro Cælio. *O magna vis veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, ſolertiam, contraque fictas omnium inſidias facile ſe per ſe ipſam defendat.*
c *Cur hanc ego.* Al. *ergo.* Al. *igitur.* Sed non eſt heic neceſſaria perticula inferendi; nam oratio bene continuatur.

6.

Ac non illa, *ſi minus* [a] *oratione noſtra, quæ de tenui fonte admodum exilis emanat* [b], *lumine tamen ſuo clara & illuſtris appareat?* Nec ſi philoſophi literis [c] mirabiles extiterunt: ego etiam [d] illis ſcientiam veri, cognitionemque conceſſerim: quam nemo cogitando, aut diſputando aſſequi poteſt.

a *Si minus .... appareat?* tota hæc periocha brevioribus characteribus in noſtro Codice deſcripta ſunt, quemadmodum quum aliena verba, aut ſententias Author noſter interſerit. Iccirco diverſimode eam deſcripſi. Tò *Ac non:* Valet *Nonne*.
b *Emanat*. Al. *manet clara*. Bon. *clareat*.
c *Literis*. Sic etiam Aldus. Al. *doctrina literarum*.
d *Ego illis etiam*. Al. *ego etiam illis*. Al. adverbium omittunt.

7.

Neque [a] nunc reprehendo eorum ſtudium, qui veritatem ſcire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiſcendi cupidiſſimam [b] fecit: ſed id arguo, id revinco, quod honeſtam illorum, & optimam voluntatem non ſit ſecutus effectus: quia neque, quid eſſet verum ipſum, ſciebant; neque quomodo, aut ubi, aut qua mente quærendum.

A 3 Ita

a *Neque ego*. Al. *neque enim*. Aldus nobiſcum legit.
b *Diſcendi cupidiſſimam*. Al. *cupientiſſimam*:

8.

Ita dum ſuccurrere humanis erroribus cupiunt, ipſi ſe in plagas, & errores maximos induxerunt [a]. Ad hoc igitur me opus coarguendi philoſophiam ſuſceptæ materiæ ordo ipſe deduxit.

---

a *Errores maximos induxerunt*. Al. *induerunt*.

9.

Nam cum error omnis aut ex religione falſa oriatur, aut ex ſapientia [a]: in eo convincendo [b] neceſſe eſt utrunque ſubvertere.

---

a *Aut ex ſapientia*. Scilicet falſa, illorum nimirum, qui ſe Sapientes eſſe, falſo ſibi perſuadebant, & aliis tales videbantur.

b *In eo convincendo*. Bon. *id eo &c.*

10.

Quum enim ſit nobis divinis literis traditum, cogitationes philoſophorum ſtultas [a] eſſe: id ipſum re, & argumentis docendum eſt: ne quis honeſto ſapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ ſplendore deceptus, humanis malit quam divinis credere. Quæ

---

a *Cogitationes Philoſophorum ſtultas eſſe*. Aldus, & Al. addunt *omnium* ex Epiſt. ad Coloſſ. c. II. v. 8. II. ad Thim. c. III. v. 7. & 13. & I. ad Corinth. c. I. & cap. III. v. 19.

11.

Quæ quidem tradita ſunt breviter, ac nude; nec enim decebat [a], ut quum Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſereret ſuas voces, tamquam aliter fides ei non haberetur: ſed, ut oportuit, locutus eſt, tamquam [b] rerum omnium maximus judex, cujus non eſt argumentari [c], ſed pronuntiare verum [d], ut Deus ipſe.

a *Nec enim decebat*. Bon. addit heic *aliter*, quæ particula ſenſum perturbat, niſi infra poſt *tamquam* reponatur, ut bene vidit Bunemannus.

b *Locutus eſt*, *tamquam*. Al. *eſt locutus quaſi*.

c *Cujus non eſt argumentari*. Fulvius Urſin. mallet: *cujus eſt non argumentari*, quod placuit etiam Bunem.

d *Sed pronunciare verum*, *ut Deus ipſe*. Incomoda ſemper lectio erit ſive punctum fiat poſt *pronunciare*; ſive poſt *verum*: quare aliquibus gloſſema viſum eſt, & in Codice Mertoniano ea non adeſſe teſtatur Bunem. Nos noſtri Cod. lect. ſequimur.

12.

Nos autem, quum ad res ſingulas teſtimonia divinæ vocis habeamus: profecto monſtrabimus [a], quanto certioribus argumentis poſſint vera defendi, quum etiam falſa ſic defendantur, ut vera ſoleant videri.

a *Profecto monſtrabimus*. Al. *monſtravimus*.

13.

Quare non eſt, quod philoſophis tantum

honoris debeamus, aut eorum eloquentiam [a] pertimeſcamus.

a *Aut eorum eloquentiam*. Al. pro *aut* legunt *ut*.

14.

Loqui enim bene potuerunt, ut homines eruditi: vere autem loqui nullo modo, quia veritatem non didicerant ab eo, qui ejus potens eſſet.

15.

Nec ſane magnum aliquid efficiemus, quod illos ignorantiæ redarguamus: quam ipſi ſæpiſſime confitentur: in eo ſolo quoniam non eis creditur, in quo ſolo credi debuit [a].

a *Confitentur: in eo ſolo, quoniam non eis creditur, in quo ſolo credi debuit &c.* Senſus eſt: conabor demonſtrare numquam Philoſophos tam veridicos fuiſſe, quam quum faſſi ſunt, ignorantiam ſuam, *quoniam in eo ſolo non creditur, in quo ſolo credi debuerat*. Quæ perturbata, & varia apud quamplurimos ſunt; ſicuti, & alia hujus capitis, ubi mirum eſt, fere verba omnia, tam in MMss., quam in editis eſſe varia, & diverſimode collocata.

16.

Conabor oſtendere nunquam illos tam veridicos fuiſſe, quam quum ſententiam [a] de ſua ignoratione dixerunt.

CAP.

a *Quam quum ſententiam de ſua ignorantia*. Bon.

Bon. non habet propoſitionem *de* neceſſariam, & legit *ſententia*. Al. *ſententias de ſua ignorantia*. Aldus nobiſcum legit.

C A P. I I.

1.

NUnc quoniam duobus prioribus libris [a] religionum falſitas demonſtrata eſt, nec non origo ipſa totius erroris expoſita: hujus libri munus eſt, philoſophiam quoque oſtendere, quam inanis, & falſa ſit: ut omni errore ſublato, veritas patefacta [b] clareſcat.

a *Nunc quoniam duobus prioribus libris*. Al. *ſuperioribus*. Bon. autem pro *nunc* habet *Num*.

b *Veritas patefacta*. Bon. *veri*.

2.

Ordiamur itaque a communi philoſophiæ nomine, ut ipſo capite deſtructo, facilior nobis aditus pateat ad exſcindendum [a] omne corpus: ſi tamen poteſt corpus vocari, cujus partes, ac membra diſcordent, nec ulla compage inter ſe cohæreant, ſed quaſi disjecta,

a *Ad exſcindendum*. Al. *exſcidendum*. Al. *incidendum*: male nam heic *exſcido* ab *ex & ſcindo* compoſitum uſurpatur pro eo quod eſt *rem per partes deſtruere*, ſicut quum dicitur, Sylvam, Domum, Urbem *exſcindere*.

cta[b], & diſſipata, palpitare potius videantur quam vivere.

b *Sed quaſi disjecta*. Al. *diſſecta* quidam *disjuncta*. Al. *diſiecta*.

3.

Philoſophia eſt (ut nomen indicat, ipſique definiunt) ſtudium ſapientiæ[a]. Unde igitur probem philoſophiam[b] non eſſe ſapientiam, quam ex ipſis nominis ſignificatione? Qui enim ſapientiæ ſtudet, utique nondum ſapit: ſed, ut ſapere poſſit, ſtudet.

a *Studium Sapientiæ*. Sic Cicer. L. II. offic.
b *Unde igitur probem philoſophiam &c.* Al. *unde igitur probent magis*. Al. *probem magis* ſequor lectionem noſtri Cod. Lactantio frequentiorem.

4.

In cæteris artibus, ſtudium quid efficiat, & quo tendat, apparet: quas quum diſcendo aliquis aſſecutus eſt, jam non ſtudioſus artificii, ſed artifex nominatur.

5.

At enim verecundiæ cauſſa[a] ſtudioſos ſe ſapientiæ, non ſapientes vocaverunt.

a *At enim verecundiæ Cauſſa*. Sub intellige: *dices*.

6.

Immo vero Pythagoras[a], qui hoc primus no-

a *Immo vero Pythagoras &c.* Quintilianus L. XII. cap. I.

nomen invenit, quum paullo plus ſaperet, quam illi priores, qui ſe ſapientes putaverunt: intellexit nullo humano ſtudio poſſe ad ſapientiam perveniri, & ideo non oportere incomprehenſæ, atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi [b]. Itaque quum ab eo quæreretur, quemnam ſe profiteretur? reſpondit, philoſophum, id eſt, quæſitorem ſapientiæ.

Si

cap. I. *Pythagoras*, inquit, *non ſapientem ſe, ut qui ante eum fuerant*, SED STUDIOSUM SAPIENTIÆ, *vocari voluit*. Quomodo id contigerit, narrat Cicer. l. v. *Tuſcul quæſt.*, & exſcriptum eſt a Menagio ad Laertium l. I. ſeg. 12. ubi ex Holſtenio obſervat, quod quemadmodum inter antiquos philoſophos Socrates dictus eſt *Sapiens*, *divinus* Plato, *Dæmonium* Ariſtoteles, *Magnus* Hippocrates; Sic inter recentiores ſolus Prophyrius *Philoſophus*, ceu per antonomaſiam, ſit appellatus. Quæ quidem non eſt infima ejuſdem ingenii laus, quam is, etſi Chriſtiani nominis hoſtis infenſiſſimus, ab Euſebio, Cyrillo, & Auguſtino reportavit. Vide Holſtenium *de Vita*, *&* *Script. Porphyr.* cap. I. & VI. Hinc aliquando mihi in mentem venit, eum a Noſtro indicatum eſſe l. v. cap. II. ſeg. 3. ubi de quodam philoſopho Chriſtianorum inimico loquitur, qui ſe *philoſophiæ Antiſtitem profitebatur*: ſed res admodum dubia eſt, ut ibidem videbimus.

b *Imperfectæ rei perfectum nomen imponi*. Senec. Epiſt. LXXXIX. *dicam inter Sapientiam, & Philoſophiam quid interſit. Sapientia perfectum bonum eſt mentis humanæ. In Philoſophia, Sapientiæ amor eſt, & affectatio. &c.* Quæ cum ſequentibus congruunt.

7.

Si ergo philoſophia ſapientiam quærit; nec ipſa ſapientia eſt: quia neceſſe eſt aliud eſſe, quod quærit, aliud, quod quæritur: nec quæſtio ipſa recta eſt [a], quia nihil poteſt invenire [b]. Ego vero ne ſtudioſos quidem ſapientiæ philoſophos eſſe conceſſerim: quia illo ſtudio ad ſapientiam non pervenitur.

---

a *Nec quæſtio ipſa recta eſt.* Al. *quæſito*. Pro actu quærendi optime nobiſcum meliores legunt. Al. *ne quæſtio quidem ipſa*. Aldus *nec quæſtio ipſa.* Utraque lectio bona; *quæſitio* apud Plautum hoc ſenſu legitur. *Caſin.* III. 1. 16. *quæſtio* apud Varr. de L. L. VIII. & Cic. eam ſic definit: *quæſtio autem eſt appetitio cognitionis; quæſtioniſque finis inventio.*

b *Quia nihil poteſt invenire:* Scilicet viribus humanis, quæ ad divina myſteria non pertingunt.

8.

Nam ſi facultas inveniendæ veritatis huic ſtudio ſubjaceret, ſi eſſet ſtudium, tamquam iter, ad ſapientiam: aliquando eſſet inventa. Quum vero tot temporibus, tot ingeniis in ejus inquiſitione contritis, non ſit comprehenſa: apparet, nullam eſſe ibi ſapientiam.

9.

Non ergo ſapientiæ ſtudent, qui philoſophantur, ſed ipſi ſtudere ſe putant: quia illud

illud, quod quærunt, ubi, aut quale ſit, neſciunt.

10.

Sive igitur [a] ſapientiæ ſtudent, ſive non ſtudent, ſapientes non ſunt hi, quia nunquam reperiri poteſt, quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur. Videamus tamen id ipſum, poſſit ne hoc ſtudio reperiri aliquid, an nihil.

a *Sive igitur*. Al. *ſive ergo*. Nobiſcum legit etiam Schottus.

C A P. III.

1.

DUabus rebus [a] videtur philoſophia conſtare: ſcientia, & opinatione; nec ulla re alia.

a *Duabus rebus*. Ab hiſce verbis nos cum omnibus tam antiquis, quam recentioribus, caput hocce ordimur; Iſæus autem a periodo antecedenti: *Videamus tamen &c.*

2.

Scientia ab ingenio venire non poteſt [a], nec cogitatione comprehendi: quia in ſe ipſo habere propriam ſcientiam, non hominis, ſed Dei eſt.

a *Scientia ab ingenio venire non poteſt*. Plura heic affert Betulejus, quæ minus apta ſunt ad mentem Lactantii declarandam: ideo conſule Lactantium ipſum

3.

Mortalis autem natura non capit ſcientiam, niſi quæ veniat extrinſecus. Iccirco enim oculos, & aures, & cæteros ſenſus patefecit in corpore divina ſolertia, ut per eos aditus ſcientia permanaret ad mentem[a].

L. II. cap. VII. Infra l. III. cap. IX. l. IV. c. XXIV. & l. VII. c. II.

a *Permanaret ad mentem.* Bon. *permaneat*: Al. Peſſime. *permanet*. Al. *perveniret*. Al. *permearet*. Aldus nobiſcum legit. Sic Cicer.

4.

Nam cauſſas[a] naturalium rerum diſquirere, aut ſcire velle, Sol utrum ne[b] tantus, quantus videtur, an multis partibus major ſit, quam omnis hæc terra: item, lu-

a *Nam cauſſas*. Bon. & Aldus: *nec cauſſas*.

b *Sol utrum ne*. Vide infra l. VI. c. II. & Lucret. l. V. a verſu 565.

Quicquid id eſt, nihilo fertur majore figura,

Quam noſtris oculis, quod cernimus, eſſe videtur.

Quæſtio hæc non antiquorum ſolum ingenia torſit, verum etiam recentiorum Philoſophorum, inter quos nondum demonſtratum eſt, cui ſit fides adhibenda; niſi quod veriſſimum cenſetur ab omnibus, eſſe animi perquam ſimplicis, & rudis, putare, Solem, ac ſingula, quæ in Cælis apparent Sydera, tantæ molis eſſe, quantæ noſtris oculis conſpiciuntur; Vide Plutarc. de Plac. Philoſoph. l. II. c. XXI. Kircher. *Iter. extatic. Itin.* 1. &c. & Johan. Franciſcum Picum l. 1. cap. XII. *de vanitate Doctr. Gent.*

luna globoſa [c] ſit, an concava, & ſtellæ utrum ne adhæreant [d] cælo, an per aerem libero curſu ferantur [e]: cælum ipſum qua magnitudine, qua materia conſtet, utrum quietum ſit, & immobile [f], an incredibili celeritate volvatur: quanta ſit terræ craſſitu-

c *Luna Globoſa.* Vide Plutarc. L.II. *de Plac. Philoph.* c. 24. & ſeq. & Galil. in obſer. ſuis.

d *Et Stellæ utrum ne adhæreant Cælo.* Al. *cohæreant.* Aldus nobiſcum legit. Vide Plutar. L.I.c.XIII. *de Plac. Philoſ.* Vitruv. *de Arch.* L. IX. *Ariſt.* L II. de Cælo &c.

e *An per aerem libero curſu ferantur.* Cicer. de Nat. Deor. L. II. Lact. infra cap. XXIV.

f *Utrum quietum ſit, & immobile.* Sic Aldus Al. *an mobile.* Al. *ac mobile.* Vide CuſanumCardinalem L.II. *de doct. ignorant.* c. XII. Calcagninum, Copernicum Aſtunicam, Galilæum, Carteſium, inter recenſiores; ac inter antiquos Plutarc. in lib. *de fac. in orb. Lunæ*, Senec. L. I. N. q. c. II., & Cicer. L. IV: qu. Acad. *Nicetas Syracuſius, ut ait Theophraſtus, Cælum, Solem, Lunam, Stellas, ſupera denique omnia, ſtare cenſet, neque præter terram, rem ullam moveri, quæ quum circum axem ſe ſumma celeritate, convertat, & torqueat, eadem effici omnia, quæ ſi ſtante terra cælum moveretur*; Quod tamen repugnare rectæ rationi demonſtrabimus. Ideo S.R.E. Cardinalium Congregatio ſolemni decreto ſuo An.1620. tamquam theſim, ſyſtema telluris motæ defendi poſſe interdixit; permiſit tamen per modum hypotheſis eo uti, quum Phyſicæ, ac Aſtronomiæ legibus congruere videatur. Vide noſtram Iſagogen. §. LXII. & diſſ. XXIII. Cap. III. & IV.

tudo [g], aut quibus fundamentis librata [h], & ſuſpenſa ſit.

g *Quanta ſit Terræ craſſitudo.* Plato ad finem Phæd. Macrob. in Som. Scip. c. xx. Vide hiſtor. Accad. Reg. Scietat. an. 1718. a pag. 238. *in ſpecim. Caſſinian.*

h *Quibus fundamentis librata.* Ariſt. Duvall. Tom. I. *de Cœlo* l. II. cap. XIII. *Quidam infinitam inferam terræ partem, inquiunt eſſe, in infinitum ipſam radicatam eſſe dicentes, ut Xenophanes Colophonius dixit.* Ibidem de Thalete Mileſio fertur, ſuper aquam jacere terram dixiſſe. Alii autem cum Anaſſimandro dicunt; nulla re ſuffultam pendere, & loco ſuo ſubſiſtentem propter æqualem omnium diſtantiam. Cicer. lib. v. Tuſc. quæſt. *unde terra, & quibus librata ponderibus; quibus cavernis Maria ſuſtineat &c.* Vide Ptolem. l. III. cap. VII. *Almageſt.*, & diſſ. ubi ſupra.

5.

Hæc inquam, diſputando [a], & conjecturis velle comprehendere, tale eſt profecto, quale ſi diſſerere velimus, qualem eſſe arbitramur cujuſpiam remotiſſimæ gentis urbem, quam nunquam vidimus: cujuſque nihil aliud, quam nomen, audivimus.

a *Diſputando.* Aldus *diſputare.*

6.

Si nobis in ea re ſcientiam vindicemus, quæ non poteſt ſciri: non ne inſanire videamur, qui id affirmare audeamus, in quo revinci poſſimus? Quanto magis, qui naturalia, quæ ſciri ab homine non poſſunt,

ſunt, ſcire ſe putant, furioſi, dementeſque ſunt judicandi?

7.

Recte ergo Socrates [a], & eum ſecuti Academici ſcientiam ſuſtulerunt, quæ non diſputantis, ſed divinantis eſt.

a *Recte ergo Socrates*. Hinc in noſtro Codice Bon. folium ſequitur, diverſo quidem, ſed antiquiſſimo charactere exaratum. Socratis auditor Plato, qui Academicæ ſectæ princeps fuit, in utramque partem rationis, opinantium more, diſputare conſuevit, quem Academici ſecuti ſunt, contra quos tres libros edidit S. Auguſtinus dignos quidem omnium philoſophorum, noſtri præſertim temporis lectione.

8.

Supereſt, ut opinatio in philoſophia ſola ſit. Nam unde abeſt ſcientia, id totum poſſidet opinatio. Id enim opinatur quiſque, quod neſcit [a]. Illi autem, qui de rebus naturalibus diſputant, opinantur ita eſſe, ut diſputant. Neſciunt igitur veritatem:

a *Id enim opinatur quiſque, quod neſcit*. Cicer. l. IV. Tuſc. quæſt. ait: *Opinatio eſt, judicare ſe ſcire, quod neſciat*: Utinam hæc intellexiſſent Scriptores plurimi, qui quum re vera neſcirent per demonſtrationem plurimarum rerum naturas, de illis tamen ita ſcripſerunt, tamquam ſi explorata eſſent, & certa, quæ vix aliquando ſunt probabilia. Vide infra c. IV., & c. XXVII.

quoniam ſcientia, certi eſt; opinatio, incerti.

9.

Redeamus ad illud ſuperius exemplum, Age, opinemur de ſtatu, & qualitate urbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen ignota eſt. Veriſimile eſt, in plano ſitam lapideis mœnibus, ædificiis ſublimibus, viis pluribus, magnificis, ornatiſque delubris [a]. Deſcribamus, ſi placet, mores habitumque civium.

[a] *Magnificis, ornatiſque delubris.* *Tò magnificis* alii non habent; ſed falſum eſt, quod eam vocem illi ſolummodo retineat, qui æditi ſunt ab an. 1465.; nam in antiquioribus Mss. ea legitur, nec ante an. 1465. typis edita umquam fuerant Lactantii opera, in quibus potuiſſet diverſimode legi.

10.

Sed quum hæc dixerimus, alius contraria diſputabit: & quum hic quoque peroraverit, ſurget & tertius, & alii deinceps, & opinabuntur multo diſparia, quam nos ſumus opinati.

11.

Quid ergo ex omnibus erit verius [a]? fortaſſe nihil. At omnia ſunt dicta, quæ in re-

[a] *Erit verius?* Al. *erit certius*. Schottus nobiſcum legit.

rerum naturam cadunt *b*, ut neceſſe ſit aliquid eorum eſſe verum. At neſcitur, quis verum dixerit.

b *At omnia ſunt dicta, quæ in rerum naturam cadunt.* In noſtro Cod. pro *ſunt* legitur *poſſunt*. Al. pro *naturam* legunt *natura*.

12.

Poteſt fieri, ut omnes ex parte aliqua erraverint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo ſumus, ſi hoc diſputatione quæramus *a*. Poteſt enim ſupervenire aliquis, qui opiniones noſtras derideat, noſque pro inſanis habeat, qui velimus id, quod neſcimus, quale ſit opinari.

a *Diſputatione quæramus*. Al. *diſputatio*.

13.

Verum non opus eſt longe poſita conquirere: unde nemo fortaſſe veniat, qui nos redarguat.

14.

Age, opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia *a*: longum eſt id quoque: dicamus, interpoſito uno pariete quid fiat? nemo poteſt id ſcire, niſi qui audierit,

a *Quid nunc in Foro geratur, quid in Curia*. Quamvis hæc vocabula interdum pro eadem re ſignificanda promiſcue uſurpentur, tamen ſatis diverſa ſignificant Fo-

rit, aut viderit. Nullus igitur audet *b* id dicere: quia ſtatim non verbis, ſed re ipſa præſenti refutabitur.

Forum, prout heic a Lactantio ſumitur, vel locum ſignificat negociationis, aut judiciorum: curia autem locum illum, in quo Senatus rempublicam curare conſuevit; vel potius locum ubi Decuriones id agebant in Municipiis, quod in Capitolio Senatores; nam ii qui in Urbe appellabantur Senatores, in Municipiis Decuriones dicebantur. Illi a Senatu, iſti a curia. Adeſt inſignis Ciceronis locus, ex quo iſta poſſunt illuſtrari. Philip. VII. c. IX. *An cum Municipiis pax erit, quorum tanta ſtudia cognoſcuntur in decretis faciendis, militibus dandis, pecuniis pollicendis, ut in ſingulis oppidis Curiam Populi Romani non deſideretis? Laudandi ſunt ex hujus ordinis ſententia Firmani, qui principes pecuniæ pollicendæ fuerunt.*

b *Nullus igitur audet*. Al. *nullus enim audet*. Schottus nobiſcum legit.

15.

Atqui hoc idem faciunt philoſophi, qui diſputant, in cœlo quid agatur: ſed eo ſe id impune facere arbitrantur, quia nullus exiſtit, qui errores eorum coarguat.

16.

Quod ſi exſtimarent deſcenſurum *a* aliquem, qui eos delirare, ac mentiri doceret: nunquam quicquam de iis rebus, quas ſcire non poſſunt, diſputarent. Nec tamen ideo felicior putanda eſt eorum impudentia, & audacia, quia non redarguuntur: redarguit enim

Deus

Deus, cui ſoli veritas nota eſt, licet connivere [a] videatur: eamquè hominum ſapientiam [b] pro ſumma ſtultitia computat.

---

a *Licet connivere*. Bon. *cohibere*. Sic etiam Aldus. Al. *cohibere*. Al. *conjicere*.

b *Eamque hominum ſapientiam*. Al. *atque hominum &c.*

C A P. IV.

I.

Recte igitur Zeno, ac Stoici [a] opinationem repudiarunt. Opinari enim te ſcire, quod neſcias [b], non eſt ſapientis, ſed temerarii potius, ac ſtulti.

---

a *Igitur Zeno, ac ſtoici*. De Zenone Cittieo, ſeu Phænicio, Stoicorum Principe, plura dicturi ſumus diſſert. xl. cap. xv. ſ. 1. Is docebat, ſcientiam eſſe circa ea, quæ ſenſibus ita erant comprehenſa, ut ratione nulla poſſet earum notitia convelli; inſcientiam autem appellabat opinionem, utpote quæ eſt imbecilla, & falſa aſſentio, quam ratio mutare poſſit. Hinc colligebant Stoici: ſolis ſapientibus ſcientiam, ſtultis opinionem, utriſque autem communem eſſe comprehenſionem, quæ fit per ſenſus. Vide Cicer. Acad. Queſt. L. 1. & Sex. Emp. *contra Mathem. p.* 166.

b *Opinari autem te ſcire quod neſcias* &c. In Epitom. c. xxxi. *Opinari autem ſcire te; quod ignoras, temeritas, ac ſtultia eſt*. Utinam nonnulli ex Criticis hanc ſententiam ſemper præ oculis habuiſſent; non eſſent utique adeo res perturbatæ, quemadmodum ex operibus eorum apparet.

2.

Ergo ſi neque ſciri quicquam poteſt (ut Socrates docuit *a*) nec opinari oportet (ut Zeno) tota philoſophia ſublata eſt . Quid , quod non tantum ab his duobus evertitur , qui philoſoqhiæ principes fuerunt , ſed ab omnibus ? ut jam videatur , jampridem ſuis armis eſſe confecta *b* .

a *Ut Socrates docuit.* Academicorum Anteſignamus, ſicuti Zeno Stoïcorum . Fundamenta enim utriuſque Sectæ eos jeciſſe , compertum eſt .

b *Ut jam videatur; jam pridem ſuis armis eſſe confecta* . Bon. poſt *Tò videatur* iterum repetit particulam *ut* , forte ad rem ; quaſi dicat Lactantius , quod etiam ſuis temporibus , ſicuti antea contigerat , ob diſcrepantiam philoſophicarum ſectarum , omnis philoſophia ſublata eſſet . De noſtra autem ætate vide Iſagogen ad Lib. *de Opif. Dei* . Et diſſ.XXIII. cap.I. §.IX. ſeq. Al. pro *confecta* legunt *confracta* Al: *confertam* .

3.

In multas ſectas philoſophia diviſa eſt : & omnes *a* varia ſentiunt . In qua ponimus veritatem ? in omnibus certe non poteſt .

a *Et omnes* . Bon. *&* *omnia* .

4.

Deligneimus quamlibet : nempe in cæteris omnibu, ſapientia non erit . Tranſeamus ad ſingulas . Eodem modo , quicquid uni dabimus *a* , cæteris auferemus . Unaquæque enim

a *Quicquid uni dabimus* : Bon. *davimus v.* ſcilicet pro *b*.

enim ſecta omnes alias evertit, ut ſe, ſuaque confirmet: nec ulli alteri ſapere concedit, ne ſe deſipere [b] fateatur: ſed ſicut alias tollit; ſic ipſa quoque ab aliis omnibus tollitur [c].

b *Ne ſe deſipere*: Al. *decipere*.
c *Ab aliis omnibus tollitur*. Al. *ab aliis tollitur omnibus*.

5.

Nihilo minus enim philoſophi ſunt, qui eam ſtultitiæ accuſant. Quamcunque laudaveris veramque dixeris; a philoſophis vituperatur, ut falſa.

6.

Credemus ne igitur uni ſeſe, ſuamque doctrinam laudanti, an multis unius alterius [a] ignorantiam culpantibus? Rectius ergo ſit neceſſe eſt, quod plurimi ſentiunt, quam quod unus.

a *An multis unius alterius*: Bon. *ac multis* &c. Al. *uni alterius*:

7.

Nemo enim de ſe recte poteſt judicare [a]: quod nobilis poëta [b] teſtatur. *Ita enim* [c] *com-*

a *Nemo enim de ſe recte poteſt judicare*: Al. *nemo enim poteſt de ſe recte*.
b *Nobilis Poeta*; Ideſt Terentius in *Heautontim*. A. III. ſc. 1. 97.
c Ita enim: Vox ſecunda abeſt a noſtro Cod.

comparatam eſſe hominum naturam omnium, aliena ut melius [d] *videant*, *&* [e] *dijudicent*, *quam ſua* [f].

d Aliena ut melius: Al. *ut aliena*.
e Et dijudicent: Al. *judicent*.
f Quam sua. Bon. *ſuam*.

8.

Quum igitur omnia incerta ſint, aut omnibus credendum eſt, aut nemini. Si nemini, ſapientes ergo non ſunt: quia ſinguli diverſa affirmantes [a], ſapientes ſe eſſe putant [b]: ſi omnibus, æque non ſunt ſapientes: quia ſinguli ab omnibus negantur, eſſe ſapientes [c].

a *Singuli diverſa adfirmantes*. Duæ ultimæ voces omittuntur a nonnullis, ſed Aldus eas reſtituendas cenſuit.
b *Se eſſe putant*. Al. *eſſe ſe &c.*
c *Negantur eſſe*. Al. *eſſe negantur*.

9.

Pereunt igitur univerſi hoc modo: & tanquam Spartiatæ [a] illi poëtarum, ſic invicem ju-

a *Et, tamquam ſpartiatæ*: Iſæus, Gallæus, & alii quidam legere malunt *ſparti*, quos ſecutus eſt Bunem. ex L. VI. cap. X. ſeg. 19. ejuſdem Lactantii; ſed nihil inde ſumitur, quod hæc lectio ſit mutanda. Betulejus, qui nobiſcum legit: Tragedia, inquit opinor, hoc argumento fuit inſcripta. Fabula eſt Ovidii Metam. L. 3. v. 103. Apollodor. L. III. cap. IV. Bocart.

jugulantur [b], ut nemo ex omnibus reſtet: quod eo fit, quia gladium habent, ſcutum non habent.

cart. *Chanaan* L. 1. cap. XIX. &c. In pirmo Machabæorum a Cap. XII. ad XV. decies de his mentio fit; & iidem ſunt, quos ex Palephato *Spartos* vocat Euſebius, & ejus latinus Interp. S. Hieronymus in Chron. DCXCVII. hiſce verbis: *Ea, quæ de* SPARTIS *memorantur, quos Palephatus ſcribit, quum proximarum eſſent regionum, adverſus Cadmum ſubito extitiſſe, & propter repentinos, quaſi de terra, contractus, & ex omni parte conſluctus*, SPARTOS *vocatos, tunc geſta ſunt*; ſcilicet eo tempore, quo Debbora, & Barach apud Judæos Dei populum regebant, & quo Europa, Cadmi Soror, rapta a Cretenſibus fuit. Ii autem, qui & SPARTI, & SPARTIATÆ a Latinis, & Græcis dicti ſunt, antiqui Lacedemones fuerunt, quorum Cadmo authori tribuebatur Urbs condita, cui *Sparta* nomen erat, a qua etymon ducunt tam *Sparti*, & *Spartæ*, quam *Spartiatæ*: Vide interpretes ad laudatum Machabæorum librum, & Calmet in Diction. S. Script. verb. *Lacedæmon*, ſeu *Sparta*, aut *Spartiatæ*. Et Huet. demonſt. Evang. P. 1. Prop. IV. cap. VIII. n. X.

b *Sic invicem jugulantur*. Sic nobiſcum etiam Aldus. Al. *ſe invicem jugulant*.

10.

Si ergo ſingulæ ſectæ multarum ſectarum judicio ſtultitiæ convincuntur: omnes igitur vanæ, atque inanes reperiuntur. Ita ſeipſam philoſophia conſumit, & conficit.

11.

Quod quum intelligeret Arceſilas [a], Academ-

ademiæ conditor [b], reprehenſiones omnium inter ſe collegit, confeſſionemque ignorantiæ clarorum philoſophorum, armavitque ſe adverſus omnes: ita conſtituit novam non philoſophandi, philoſophiam.

---

a *Arceſilas, Academiæ conditor*. Bon. *Archemſilas*. Scilicet recentioris Academiæ Inſtitutor, de quo Cicero l. III. de Oratore c. XVIII. *Arceſilas primum ex variis Platonis libris, ſermonibuſque Socraticis hoc maxime arripuit*; NIHIL ESSE CERTI, QUOD AUT SENSIBUS, AUT ANIMO PERCIPI POSSIT.... *Hinc hæc recentior Accademia emanavit.* Nota heic Philoſophorum Sectas, (quæ apud Ammonium ſeptem fuere, apud Varronem autem ex Auguſtino l. IX. c. I. de Civit. Dei CCLXXXVIII.) præcipuas tamen quatuor fuiſſe ſolummodo, eruitur ex Virgilii Carminibus in CIRI a ℣. 14.

Si me jam ſumma ſapientia pangeret arce,

Quatuor antiquis quæ hæredibus eſt data concors.

Iſtæ autem ſunt: Academica, Peripatetica, Stoica, & Epicurea: Academia vero triplex fuit, teſte Laertio in *Proemio de Vit. Phil.* ſegm. 19. ſcilicet. *Vetus, media, & nova*. Veteris Princeps Plato, qui in iis, quæ ad intelligentiam pertinent, Pythagoram; in eis, quæ ſenſibus obnoxia ſunt, Heraclitum; in politicis Socratem, ſecutus, ſectam inſtituit, quæ a loco, in quo Profeſſores inſtituebantur, Academia vetus tandiu dicta eſt, quamdiu illi præfuerunt Speuſippus, Xenocrates, Polemon, & Crantor, Platonis Diſcipuli. Arceſilaus autem, quem Cicero, aliquando, & Lactantius heic vocant Arceſilam, quum primus, ex Laertii ſententia, differendi rationem, a Platone traditam, paullatim immutaſſet, interrogationibuſque,

que, atque reſponſionibus magis litigioſam reddidiſſet, mediæ, ut Laertius vult, author extitit Academiæ, in qua Teleclem, Evandrum, & Hegeſinum, habuit ſucceſſores. Novæ tandem Academiæ Lacydes, juxta Laertium, conditor fuit, quamvis Cicero id negare videatur L. II. Queſt. Acad. ubi ſub perſona Luculli aſſerit, quod Arceſilæ: *Non admodum probata ratio, proxime a Lacyde ſolo retenta eſt; poſt autem confecta a Carneade, qui eſt quartus ab Arceſila.* & Stanlejus Carneadi novæ Academiæ Principatum tribuit, additque: *Quartam nonnulli Academiam agnoſcunt a Philone, & Charmide, imo, & quintam ab Antioro fundatam.* Part. iv. Hiſt. Philoſ. c. 1. Vide Laert. & Aldobr. ad Laert. ubi ſupra.

b *Academiæ conditor:* Bon. *Academicæ.*

12.

Eo igitur authore duo philoſophiæ genera eſſe cœperunt. Unum, illud vetus, quod ſcientiam ſibi vendicat: Alterum, novum repugnans, quod eam detrahit [a]. In his duobus generibus video diſcidium [b], & quaſi civile bellum [c].

Sa-

a *Quod eam detrahit.* Id eſt: tollit, docens nihil ſciri poſſe. Al. *diſtrahit:* Male ut oſtendit heic Bunem.

b *Diſcidium.* Al. *diſſidium.*

c *Quaſi civile Bellum.* Cicer. L. II. Quæſt. Acad. Al. iv. Initio utitur ſimilitudine ſeditionis, & infra ait: *Ut in optima Republica T. Gracchus, qui otium perturbaret; ſic Arceſilas, qui conſtitutam Philoſophiam everteret, & in eorum authoritate deliteſceret, qui negaſſent quicquam ſciri, aut percipi poſſe:*

13.

Sapientiam, quæ diſtrahi [a] non poteſt, in qua parte ponemus? Si natura rerum ſciri poteſt, hæc tironum caterva interibit: ſi non poteſt, veterani conficientur: ſi pares fuerint, nihilominus peribit dux omnium philoſophia, quia diſtracta eſt: nihil enim poteſt ſine interitu ſuo [b] ſibi eſſe contrarium.

a *Diſtrahi*. Al. *diſſipari*: Al. *detrahi*, ut etiam videtur ſcriptum in noſtro Cod.

b *Sine interitu ſuo*: Bon. *Tò ſuo* non habet. Nos ex Aldi emendatione, & aliis optimis vocem hanc reſtituimus.

14.

Si autem [ut docui] nulla in homine eſſe poteſt [a] interna, & propria ſcientia ob fragilitatem conditionis humanæ: Arceſilæ manus vincit [b]. Sed ne ipſa quidem ſtabit, quia non poteſt omnino nihil ſciri.

a *Nulla in homine poteſt eſſe* Al. haſce voces poſtponunt.

b *Arceſilæ manus vincit*: Bon. *Archiſilae*. Al. *vicit*.

C A P. V.

1.

SUnt enim multa, quæ ſcire nos natura ipſa [a] & uſus frequens, & vitæ neceſſitas cogit. Itaque pereundum eſt, niſi ſcias.

quæ

a *Quæ ſcire nos natura ipſa*. Al. *quæ natura ipſa ſcire nos*.

quæ ad vitam ſunt utilia, ut appetas: quæ periculoſa, ut fugias, & vites.

2.

Præterea multa ſunt, quæ uſus invenit. Nam ſolis, ac lunæ varii curſus, & meatus [a] ſyderum, & ratio temporum deprehenſa eſt, & natura corporum a medicis, herbarumque vires: & ab agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum [b], ac tempeſtatum ſigna collecta ſunt. Nulla denique ars eſt, quæ non ſcientia conſtet. De

b *Meatus*: I.E. motus ultro citroque proprius Aſtrorum; Virgilio, Lucretio, & Plinio hoc eodem vocabulo expreſſus.

b *Necnon imbrium futurorum*: Matth. XVI. ℣. 2 *Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim Cælum; Et mane: hodie tempeſtas, rutilat enim triſte Cælum*. Luc. XII. 54. Vide Arat. in Phœnom. Virgil. in Georg. Nec omnino negari poteſt, quod narrat Plin. L. XXV. c. II. Inventam, ſcilicet, jam pridem rationem pronunciantem horas, non modo dies, ac noctes, ſolis, lunęque defectum; Adde nunc & quantitatem, atque initium, incrementum, & finem illius; quæ ſcientia antiquiſſima eſt; Nam Tales Mileſius id prædixiſſe Jonibus narrat Herod. L. I. num. 74. & Cicer. L. II. *de Nat. Deor.* ait: *Defectionis ſolis, & Lunæ cognitæ, prædictæque in omne poſterum tempus, quæ, quantæ, quando futuræ ſint*. Hipparcum vero utriuſque ſyderis perſcripſiſſe curſum in annos DC. teſtis eſt Plinius L. II. c. XII. Apud Sinenſes autem quam antiqua fuerit hæc ſcientia, vide in Obſervat. Lit. ac in Diariis Hagen. an. 1729. tom. XIV., in Diar. Trevult. 1733. pag. 290.

3.

Debuit ergo Arceſilas, ſi quid ſaperet, diſtinguere, quæ ſciri poſſent, quæve neſciri. Sed ſi id feciſſet, ipſe ſe in populum redegiſſet [a].

a *Ipſe ſe in populum redigiſſet* : Betulejus putabat idem eſſe, ac *ſe redegiſſet in ordinem ; ac capite diminuiſſet*, ut Jureconſulti apud Budd. *in ff. de officio Præſid.* At longe melius explanatur iſte dicendi modus ab Heuman. per hoc : *id feciſſet, quod vulgus Philoſophorum, vel etiam hominum facit*, id eſt, *unus de Populo*, eſſet habitus. Ut habet Seneca Epiſt. x., & Cicer. pro Archia. Idem pro Roſcio Amerino: *in Grege adnumerari* & Senec. de Benef. III. *in turbam ordidiſſimam redigi*, ut bene addit Bunem.

4.

Nam vulgus interdum plus ſapit : quia tantum, quantum opus eſt [a], ſapit. A quo ſi quæras, utrum ſciat aliquid, an nihil : dicit ſe ſcire, quæ ſciat : fatebitur ſe neſcire, quæ neſciat.

a *Quantum opus eſt*. Ut raram locutionem hanc aliqui notat ; ſed ſciant ea uſum fuiſſe Horatium L. 1. ſerm. ſatyr. 1. ỳ. 59.

At qui tantuli eget quantum eſt opus ....

Quamvis Al. legant *quanto eſt opus*. Plaut. Trucul. v. x. *Opus eſt cibum puero*. Et Cic. xv. ad Attic. xx. *mihi quoque opus erit viaticum* &c.

5.

Recte ergo aliorum ſuſtulit diſciplinas, ſed non

non recte fundavit ſuam : Ignoratio enim *a* rerum omnium non poteſt eſſe ſapientia, cujus eſt ſcire proprium. Ita quum philoſophos expugnaverit, ac docuerit, eos nihil ſcire, ipſe quoque nomen philoſophi perdidit: quia doctrina ejus eſt; nihil ſcire *b*.

a *Ignoratio enim*; Al. *Ignorantia*: Bon. *Ignoratione*.
b *Doctrina ejus eſt:nihil ſcire*: Seneca Epiſt. LXXXVIII. *Academici novam induxerunt ſcientiam*; NIHIL SCIRE.

6.

Nam qui alios reprehendit, quod neſciant, ipſe debet ſciens eſſe. Quum autem nihil ſciat, quæ perverſitas, quæve inſolentia eſt, ob idipſum ſe philoſophum conſtituere, propter quod cæteros tollat? Poſſunt enim ſic reſpondere:

7.

Si nihil nos ſcire convincis *a* & ideo non eſſe ſapientes, quia nihil ſciamus: ergo ne tu quidem ſapiens es, quia te quoque confiteris nihil ſcire?

a *Convincis*. Al. *conviceris*. Al. *convinceris*.

8.

Quid ergo promovit Arceſilas *a*, niſi quod confectis omnibus philoſophis, ſeipſum quoque eodem mucrone transfixit?

CAP.

a *Arceſilas*: Bon. *Archeſileus*, & ſic ſemper.

CAP VI.

1.

NUſquam ne igitur ſapientia eſt? Imo vero inter ipſos [a] fuit: ſed nemo vidit. Alii putaverunt, poſſe ſciri omnia [b]: hi ſapientes [c] utique non fuerunt. Alii nihil: ne hi quidem ſapientes fuerunt. Illi, quia plus homini dederunt: hi, quia minus, utriſque in utramque partem modus defuit.

a *Inter ipſos*. Al. *inter Philoſophos*. Al. utrumque ponunt.
b *Poſſe ſciri omnia*: Al. *ſciri poſſe o*. Al. *omnia ſciri poſſe*.
c *Hi ſapientes* Bon. caret pronomine.

2.

Ubi ergo ſapientia eſt? Ut neque te omnia ſcire putes, quod Dei eſt: neque omnia neſcire, quod pecudis. Eſt enim aliquid medium, quod ſit hominis: id eſt ſcientia cum ignoratione conjuncta, & temperata.

3.

Scientia in nobis ab anima eſt [a], quæ oritur è

a *Scientia in nobis ab Anima eſt, quæ oritur è Cælo: ignoratio a corpore, quod eſt a Terra*. Al. *ab Animo*. Sic L. II. c. 13. al. 12. & 19. al. 18. & L. 7. c.12. Adde quæ a nobis notata ſunt ſupra cap. III. ſeg. 2. in quibus locis erroris ab Antonio Raudenſi N. poſtulatur; ſed immerito, ut infra petebit, & diſſ. xxv. cap. ix. §. v.

e cælo: ignoratio a corpore; quod eſt e terra. Unde nobis & cum Deo, & cum animalibus eſt aliqua communitas.

4.

Ita quoniam ex his duobus conſtamus elementis, quorum alterum luce præditum eſt, alterum tenebris [a], pars nobis data eſt ſcientiæ, pars ignorantiæ. Per hunc quaſi pontem tranſire ſine cadendi periculo [b] licet. Nam illi omnes, qui in alteram [c] partem inclinaverunt, aut dextro, aut ſiniſtro verſus [d] ceciderunt. Utraque autem pars quomodo erraverit, dicam.

---

a *Luce præditum eſt, alterum tenebris*. Scilicet Ignis, & Terræ elementa, de quibus ſupra dictum eſt.

b *Sine cadendi periculo* Bon. *ſine cadendi ſe periculo*.

c *Qui in alteram* Aldus & Al. *qui ſe in &c.*

d *Aut dextro, aut ſiniſtro verſus*. Kirchmajer ait: *Neque enim memini me uſpiam apud veteres Latinos id vocabuli legiſſe: ſiniſtro verſus*. Ammint. Marc. *levorſum* dixit cum Appalejo. *Siniſtrorſus* Cæſar L.VI. Bell. Gall. c. XXV. At eadem ratio militat pro utroque: Plautus enim ait *in Carcul.*

Si Deos ſalutas, deſtroverſus cenſeo.

Et in Rud.

Sed dextroverſum adverſa it in malem Crucem.

5.

Academici contra Phyſicos ex rebus obſcuris argumentati ſunt, nullam eſſe ſcientiam:

& exemplis paucarum rerum incomprehenſibilium [a] contenti, amplexi ſunt ignorantiam, tanquam ſcientiam totam ſuſtuliſſent, quia in parte ſuſtulerunt [b].

a *Paucarum rerum incomprehenſibilium*: Aldus, & Al. copulam addunt.
b *In parte ſuſtulerunt.* Al. *in partem* Al. *ſuſtulerant*.

6.

Phyſici contra ex ijs, quæ aperta ſunt, argumentum trahebant, omnia ſciri poſſe: contentique perſpicuis, retinebant ſcientiam, tamquam totam defendiſſent, quia ex parte defenderunt. Itaque neque hi clara, neque illi obſcura viderunt: ſed utrique, dum ſolam ſcientiam conſertis manibus [a] vel retinent, vel eripiunt, non viderunt, in medio conſtitutam fore, quæ illos ad ſapientiam tranſmitteret.

a *Conſertis manibus*. Lact. infra L. v. c. v. utitur hoc dicendi modo, quo *ſummo conatu pugnare* exprimi ſolet, ut monuit heic Spark.

7.

Verum Arceſilas ignorantiæ magiſter, quum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philoſophiam everteret, authore Socrate, ſuſcepit hanc ſententiam, ut affirmaret nihil ſciri poſſe.

8.

Itaque coarguit æſtimationem philoſophorum,

rum, qui putaſſent, ingeniis ſuis erutam eſſe, atque inventam veritatem: videlicet, quia mortalis fuerat illa ſapientia, paucisque ante temporibus inſtituta, ad ſummum jam incrementum pervenerat, ut jam neceſſario conſeneſceret, ac periret: repente extitit Academia, tanquam ſenectus philoſophiæ, quæ illam conficeret, jam defloreſcentem.

9.

Recteque vidit Arceſilas, arrogantes, vel potius ſtultos eſſe, qui putent ſcientiam veritatis conjectura poſſe comprehendi.

10.

Sed tamen falſa dicentem redarguere non poteſt, niſi qui ſcierit ante, quid verum ſit, quod Arceſilas, veritate non cognita, facere conatus, introduxit genus philoſophię *ἀσύστατον* [a], quod Latine inſtabile, ſive inconſtans poſſumus dicere.

a *ἀσύστατον*: Bon. *adſyſtetum latine*: male.

11.

Ut enim, nihil ſciri poſſe, ſciendum ſit; aliquid ſciri neceſſe eſt [a]. Nam ſi omnino nihil

a *Aliquid ſciri neceſſe eſt.* Tritum eſt argumentum contra Academicos; Nam quicumque aſſerit, nihil ſciri poſſe; neceſſe eſt, ut ſaltem ipſe ſciat, nullam aliam ſcientiam eſſe veram, preter illam, quam ipſe co-

hil ſcias, idipſum nihil ſciri poſſe, tolletur.

cognoſcit veritatem ſuæ propoſitionis. Kirchmajer diſſert. I. Lactantium contra Vallam L. III. Dialecticæ tuetur. Videndi Clemens Alex. L. ult. *Strom.* & Mazzonius de Comparat. Platonis, & Ariſtotelis, ubi locum iſtum Lactantii illuſtratum reperies.

12.

Itaque qui uelut ſententiæ loco pronuntiat, nihil ſciri, tanquam perceptum profitetur, & cognitum; ergo aliquid ſciri poteſt [a].

a *Tamquam perceptum profitetur, & cognitum; ergo aliquid ſciri poteſt*. Bon. & Al. *præceptum profitetur*. Sed noſtra præferenda lectio eſt ſecundum ea, quæ dicta ſunt, Al. *præcepta profitebantur*.

13.

Huic ſimile eſt illud [a], quod in ſcholis proponi ſolet in aſyſtati generis exemplum: ſomniaſſe quendam, ne ſomniis crederet. Si enim crediderit, tum ſequitur, ut credendum non ſit. Si autem non crediderit, tunc ſequitur, ut credendum ſit [b].

Ita

a *Huic ſimile eſt illud*. Exemplum adducit Lactantius, quo in Scholis Tyrones exercentur, quod Valla Dial. III. cap. XIII. non advertens, indigna cenſura notat, quaſi ſerio heic loqueretur Lactantius.
b *Si autem non crediderit tunc ſequitur, ut credendum ſit*. Hæc deſunt in Cod. Bonon. ſed in omnibus aliis leguntur tam MM., quam editis.

14.

Ita ſi nihil ſciri poteſt, neceſſe eſt idipſum ſciri, quod nihil ſciatur. Si autem ſcitur, non poſſe ſciri: falſum eſt ergo quod dicitur, nihil poſſe ſciri. Sic inducitur dogma ſibi ipſi repugnans, ſeque diſſolvens.

15.

Sed homo verſutus, cæteris philoſophis ſcientiam voluit eripere, ut eam domi abſconderet. Nam ſibi illam profecto non adimit, qui aliquid affirmat, ut cæteris adimat: ſed nihil agit: apparet enim, ac furorem ſuum prodit [a].

a *Ac furorem ſuum prodit*. Al. *Furtum*. Al. *Furem*, Heum. ſua authoritate, legi jubet *fucum*. Supra Noſter furioſos, ac dementes hujuſmodi Philoſophos appellavit, & iccirco hanc Lectionem retinui; quamquam *furem* bene Alii legant, id ad Arceſilam referendo, quum Lactantius dixerit, eum cæteris ſcientiam ademiſſe.

16.

Quanto faceret ſapientius, ac verius, ſi exceptione facta, diceret cauſſas, rationeſque duntaxat rerum cæleſtium, ſeu naturalium, quia ſunt abditæ, nec ſciri poſſe, quia nullus doceat: nec quæri [a] oportere, quia inveniri quærendo non poſſunt.

a *Nec ſciri poſſe, quia nullus doceat, nec quæri*

ri &c. Sic cum Schotto reſtitui debet, ubi Al. *neſciri* legunt.

17.

Qua exceptione interpoſita, & phyſicos admonuiſſet, ne quærerent ea, quæ modum excederent cognitionis humanæ [a], & ſeipſum calumniæ invidia liberaſſet, & nobis certe dediſſet aliquid, quod ſequeremur.

a *Modum excederent cognitionis humanæ*. Sic Schottus Al. *Cogitationis*. Vide diſſ. XXIII. Cap. I. §. IX. ubi primum hocce fundamentum Lactantianæ eruditionis fuiſſe, demonſtravimus ad juvenes noſtros erudiendos.

18.

Nunc autem quum ab aliis ſequendis [a] nos retraxerit, ne velimus plus ſcire, quam poſſumus [b]: non minus a ſe quoque ipſo retraxit. Quis enim velit laborare, ne quicquam ſciat. Aut hujuſmodi ſuſcipere doctrinam, ut etiam communem ſcientiam perdat?

a *Ab aliis ſequendis*. Al. *ab his*.
b *Quam poſſumus*. Al. *poſſimus*.

19.

Quæ ſi doctrina eſt, ſcientia conſtet neceſſe eſt: ſi non eſt, quis tam ſtultus eſt, ut diſcendum id putet, in quo aut nihil diſcitur, aut etiam [a] dediſcitur?

Qua-

a *Aut etiam*. Al. *aut omnino*.

20.

Quare ſi neque, omnia ſciri poſſunt, quod phyſici putaverunt: neque nihil, quod Academici: philoſophia omnis extincta eſt.

C A P. V I I.

1.

TRanſeamus nunc ad alteram philoſophiæ partem, quam ipſi moralem vocant [a], in qua totius philoſophiæ ratio continetur. Siquidem in illa phyſica ſola oblectatio eſt, in hac etiam utilitas [b].

a *Moralem vocant.* Ethicam proprie dictam.

b *Illa Phyſica ſola oblectatio eſt; in hac etiam utilitas.* Scilicet quia Ethica mores hominum dirigit, eoſque ad ſocietatem non minus, quam ad propriam utilitatem format.

2.

Et quoniam in diſponendo vitæ ſtatu, formandiſque moribus periculo majori peccatur: majorem diligentiam neceſſe eſt adhibere, ut ſciamus, quomodo nos oporteat vivere.

3.

Illic enim poteſt venia concedi, quia ſive aliquid dicunt, nihil proſunt: ſive delirant, nihil nocent. Hic vero nullus diſcidio [a], nul-

a *Nullus diſcidio.* Al. *diſſidio.* Id enim quod regu-

lus errori eſt locus : omnes unum ſentire, oportet, ipſamque philoſophiam uno quaſi ore præcipere : quia ſi quid fuerit erratum, vita omnis evertitur.

---

gulis morum conſonum eſt, nulla ratione poteſt diſſonum ab iiſdem eſſe.

4.

In illa priori parte, ut periculi minus, ita plus difficultatis eſt, quod obſcura rerum ratio cogit diverſa, & varia ſentire. Hic ut plus periculi eſt[a], ita minus difficultatis: quod ipſe uſus rerum, & quotidiana experimenta poſſunt docere, quid ſit verius, & melius.

---

a *Ut plus periculi eſt*. Sic nobiſcum Schottus & Rocca Al. Tò *eſt*, omittunt.

5.

Videamus ergo utrum ne conſentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius in vita degatur[a].

---

a *Vita degatur*. Aldus nobiſcum legit. Al. *in vita noſtra degamus*.

6.

Non neceſſe eſt omnia circumire : [a] quum unum eligamus, ac potiſſimum, quod eſt ſum-

---

a *Circumire*. Al. *circuire*.

ſummum [b], ac principale, in quo totius ſapientiæ cardo verſatur.

b *Quod eſt ſummum*. Scil. de Summo Bono quid Philoſophi ſenſerint: Cicer. L. II. & IV. *Acad. Quæſt.* & L. II. *de finib.* S. Auguſt. L. XVIII. *de Civit. Dei* &c. videndi. Summum autem heic a Lactantio dicitur, quod finis eſt, ad quem omne rationale agens agendo reſpicere debet.

7.

Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet [a]. Ariſtippus in voluptate corporis [b], Calliphon, & Dinomachus [c], honeſta-

a *Epicurus ſummum bonum in voluptate animi eſſe cenſet*. Cave Lector, ne te fallat *animi* nomen; Nam Epicuro Animus, & Anima idem prorſus eſt, utrumque corporeum, ac mortale ita quidem, ut,

Sic anima, atqua animus per ſe nil poſſe videntur.

Uti canit Lucr. L. III. ℣. 564. Hinc Ariſtippi, ac Epicuri de ſummo bono ſententia eadem in re eſt, quamquam nomine tenus diverſa. Ille enim impudentia, hic aſtutia altero præſtantior. Vide infra Cap. VIII. ſeg. 5. Cap. XVII. ſeg. 1., & 15. Cap. XXVII. ſeg. 5., & diſſ. XXVIII. Cap. I. §. II.

b *Ariſtippus in voluptate corporis*. De eo infra ad Cap. VIII. Seg. 9., & XV. Seg. 15. ſermo redibit; & diſſ. XL. cap. IX. §. I. luculenter agitur.

c *Calliphon, & Dinomachus*. Al. addunt *Cyrenaicus*; Sed male, ut infra cap. VIII., & L. VII. cap. VII. manifeſte apparebit. Primus, (quem Cicero, & Lactantius aliquando *Callipho* ſcribunt) Crotoniata inter Pythagoræ Diſcipulos, cui fuit familiariſſimus, re-

ſtatem cum voluptate junxerunt. Diodorus in privatione doloris [d]. Summum bonum poſuit Hieronymus in non dolendo [e]: Peripateti-

---

recenſetur ab Hermippo, teſte Joſepho Hebræo contra Apionem L. I. 11., At Cicero L. II. *Q. Acad.* ait: *Neque tamen cum Cyrenaicis de ipſa voluptate conſentiens: Voluptatem autem, & honeſtatem finem eſſe, Callipho cenſuit.* De Dinomacho vero idem Cicero L. III. de *Offic.* hæc habet: *Quo magis reprehendendos Calliphonem, & Dinomachum judico, qui ſe dirempturos controverſiam putaverunt, ſi cum honeſtate voluptatem, tamquam cum homine pecudem, copulaviſſent.* Vide de his diſſ. XL. cap XVI. ſ. V. ſeq.

d *Diodorus in privatione doloris.* Sic cum Fulvio Urſino, Iſæo, Sparkio, aliiſque legendum puto, ne omnino videatur eadem fuiſſe, Diodori, & Hieronymi opinio, quos ex Cicerone contraria ſenſiſſe ſcimus; nam L. II. de Finibus ait: *Diodorus ad eandem honeſtatem addidit vacuitatem doloris.* Et paullo infra: *Ita tres ſunt fines expertes honeſtatis, unus Ariſtippi, vel Epicuri: alter Hieronymi: Carneadis tertius. Tres in quibus honeſtas cum aliqua acceſſione: Polemonis, Calliphonis, Diodori,* & fere eadem repetit ad fin: L. III. *de filibus.* Quis autem fuerit iſte Diodorus, definire non auderem, quum quatuor hujus nominis Philoſophos recenſeat Athenæus; Niſi Cicero diceret L. V. de *Finibus*, hunc fuiſſe Critolai auditorem, qui etſi putaretur Peripateticus, talis tamen vere dici non poterat. Vide diſſ XL. c. XIX. ſ. VI.

e *Hieronymus in non dolendo.* Hic Rhodius fuit, & Ariſtotelis diſcipulus, teſte Athenæo L. XII. Vide diſſ. ubi ſupra ſ. VII.

tici *f* autem in bonis animi, & corporis, & fortunæ.

f *Peripatetici*. De eorum circa ſummum bonum, quod in triplici genere eſſe dicebant, ſententia, agit Cicero L. I. Queſt. Ac., & L. III. de *Finibus*. Vide de hac Philoſophorum Secta diſſ. XL. Cap. XIX.

§. 8.

Herilli ſummum bonum eſt ſcientia *a*: Zenonis, cum natura congruenter vivere *b*. Quorundam Stoicorum, virtutem ſequi. Ariſtoteles in honeſtate *c*, ac virtute ſummum bonum collocavit.

a *Herilli ſummum bonum eſt Scientia*. Hic fuit Carthaginenſis, Zenonis auditor, a quo in ratione ſummi boni diſſentit. De eo Cic. L. II. quæſt. Acad. L. IV. de finib. Laert. L. VII. Seg. 165. In Epit. dicitur Pyrrhonius cap. XXXIII. Vide diſſ. XL. c. XV. §. VI.

b *Zenonis congruenter vivere*. De eo jam ſupra diximus, & infra dicemus. Cicero L. II. Quæſt. Acad. *Honeſtum autem, quod ducatur a conciliatione naturæ, Zeno ſtatuit finem eſſe bonorum*.

c *Ariſtoteles in honeſtate*. Schottus pro *Ariſtoteles* legit *Ariſto Coeus*. Cicer. L. II. quæſt. Acad. *Honeſte autem vivere fruentem rebus iis, quas primas homini natura conciliet, & vetus Academia cenſuit, ut indicant ſcripta Polemonis, quem Antiochus probat maxime, & Ariſtoteles*.

§. 9.

Hæ ſunt fere omnes omnium *a* ſententiæ. In

a *Hæ ſunt fere omnes omnium*. Al Tò *omnes* non habent.

In tanta diverſitate quem ſequimur [b]? cui credimus? Par eſt in omnibus [c] authoritas. Si eligere poſſumus, quod eſt melius, jam non eſt philoſophia nobis neceſſaria: quia ſapientes jam ſumus, qui de ſapientum ſententiis judicemus.

b *In tanta diverſitate quem ſequimur?* Cic. ubi ſupra. *Ad vos nunc refero, quem ſequar?*

c *Par eſt in omnibus*. Sic etiam Aldus. Al. præpoſitionem omittunt.

10.

Quum vero diſcendæ ſapientiæ cauſſa veniamus, quid poſſumus judidare [a], qui nondum cœperimus ſapere [b]? maxime quum præſto adſit Academicus, qui nos pallio retrahat [c], ac vetet cuiquam credere, nec tamen afferat ipſe, quod ſequamur.

a *Quid poſſumus judicare*. Al. *qui*, & forte bene; nam *qui* heic pro quommodo uſurpatum eſſe, ſenſus verborum manifeſtat. Al. *poſſimus*.

b *Coeperimus ſapere*. Al. *ſapere cœperimus*.

c *Qui nos Pallio retrahat*. Al. *qui os Pallio*. Noſtra lectio præferenda eſt, quæ heic pro Authoritate pallium ponit; quaſi diceret Lactantius: Academicum ſuo pallio nos retrahere poſſe a fide alicui præſtanda. Utebantur enim Græci Philoſophi Pallio, & Barba ad authoritatem ſibi conciliandam; Vide infra ad cap. XXV. Seg. 6. L. V. cap. II. Seg. 1. Ir. cap. XXII. Seg. 1. Etiam primis Eccleſiæ Sæculis Chriſtiani Pallio utebantur, qui inter cæteros vitæ auſterioris diſci-

pli-

plinam colebant, ut ex Tertulliani Opuſculo, quod *de Pallio* inſcribitur, facile deduci poteſt. Quum enim ipſe a Carthaginenſibus ſuis reprehenderetur, quod togam Pallio commutaſſet, hoc eſt, quod Chriſti Militiæ nomen dediſſet, illis ſatyrica hac apologia egregie occurrit, ut ſe ab inconſtantiæ crimine purgaret. Vide Salmaſium & Rigalt. in notis ad illud, & infra ad cap. XXV. Al. XXIV.

C A P. V I I I.

I.

QUid ergo ſupereſt, niſi ut obvias litigatoribus furioſis, ac pertinacibus manus demus? Veniamus ad judicem [a], illum ſcilicet, datorem ſimplicis, & quietæ ſapientiæ, quæ non tantum formare nos, ac in-

a *Niſi ut obvias litigatoribus furioſis, ac pertinacibus manus demus? Veniamus ad Judicem* &c. Sic legit noſter Codex Bon., & Aldus; Ubi Alii omnes pro *obvias* habent *omiſſis*. Tò *manus demus* non habent, & aliqui pro *litigatoribus* legunt *litigationibus*. Heic *manus obvias dare* eſt *gratias agere, & ſe victum fingere*, ut fieri ſolet cum iis agendo, quibus litigare placet, nihil ex contentione reportare contenti. Cicero ad Attic. L. XVI. Epiſ. III. *Sapienter igitur, quod manus dediſti, quodque etiam ultro gratias egiſti*. Et alibi. *Qui etiam adverſando ſæpe aſſentitur, & litigare ſe ſimulans, blanditur, atque ad extremum* DET MANUS, VINCIQUE SE PATIATUR *ut is, qui illuſus ſit, plus vidiſſe videatur*. Unde recte judicem appellat.

inducere in vitam poſſit, verum etiam de controverſiis iſtorum ferre ſententiam.

2.

Hic nos docet a, quid ſit hominis verum, ac ſummum bonum. De quo prius quam dicere incipio, illæ omnes ſententiæ ſunt refellendæ, ut appareat, neminem illorum fuiſſe ſapientem.

---

a *Hic nos docet*. Bon. *Hæc nos docet*: quam lectionem Aldus ex utroque Codice inſinuat; aptius tamen cum cæteris legimus *hic*, Chriſtum Divinum Præceptorem intelligendo.

3.

Quum de officio hominis agatur, oportet ſummum ſummi animalis bonum in eo conſtitui, quod commune cum cæteris animalibus eſſe non poſſit.

4.

Sed ut feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ, propria ſunt: ſic homini aliquid ſuum debet adſcribi, ſine quo rationem ſuæ conditionis amittat. Nam quod vivendi, aut generandi cauſſa datum eſt omnibus, eſt quidem bonum naturale, ſummum tamen non eſt, niſi quod eſt unicuique generi proprium.

5.

Sapiens ergo non fuit, qui ſummum bonum

num credidit animi voluptatem. Quoniam ſive illa ſecuritas, ſive gaudium eſt, commune eſt omnibus [a].

a *Commune eſt omnibus*. Intellige bonum. Al. *communis*. Commune autem bonum dixit cum hominibus, tum jumentis; quia in ſententia Epicuri non ſolum anima, & animus omnium animantium idem ſunt; ſed etiam utrumque mortale: *facile & diſcedit in auras*. Ut ait Lucr. L. III. v. 401. Vide ad cap. XXVII. Seg. V.

6.

Ariſtippo ne reſpondendum quidem duco, quem in corporis ſemper voluptates ruentem, nihilque aliud, quam ventri, & Veneri ſervientem, nemini dubium eſt, hominem non fuiſſe. Sic enim vixit, ut nihil inter eum, pecudemque diſtaret, niſi unum, quod loquebatur.

7.

Quod ſi aſino, aut cani, aut Sui facultas loquendi tribuatur, quæraſque ab his quid ſibi velint, quum fœminas tam rabide conſectantur, ut vix divelli queant: cibos etiam, potumque negligant: cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem abſiſtant, ſed a fortioribus ſæpe contriti, eo magis inſectentur; cur nec imbres, nec frigora pertimeſcant, laborem ſuſcipiant, periculum non recuſent: quid aliud reſpondebunt, niſi ſummum bonum eſſe corporis volupta-

ptatem ? eam ſe appetere, ut afficiantur ſuaviſſimis ſenſibus : eoſque eſſe tanti, ut aſſequendorum cauſſa nec laborem ſibi ullum, nec vulnera, nec mortem ipſam recuſandam putent.

8.

Ab his ne igitur præcepta dari [a] vivendi petemus, qui hoc idem ſentiunt, quod animæ rationis expertes [b] ?

a *Præcepta dari*. Sic etiam Aldus, Al. ſecundam vocem non habent.

b *Quod animæ rationis expertes*. Id eſt bruta animalia; quod notandum eſt contra eos, qui putant, Lactantium tribuiſſe illis amimam ratione præditam. Hunc loquendi modum ſingularem Synecdochen vocat Bunemannus, quod *Anima* idem quod *Animal* ſive *pecus* ſignificet; Sed quum ratio animali competat per animam rationalem; longe melius de feris beſtiis dicitur, quod habeant animas rationis expertes.

9.

Ajunt Cyrenaici [a], *virtutem ipſam ex eo eſſe*

a *Ajunt Cyrenaici*. Schottus *Cyrenæi*. Sic dicti ſunt Philoſophi illi, qui *Ariſtippum* Secuti ſunt. Is Aretade Patre Cyrenenſi natus, Socrate uſus eſt præceptore, eoque defuncto in patriam ſuam, Cyrenem Africæ, rediens, ibidem Philoſophiam docuit, ſectæque extitit author, quæ Cytenaica fuit appellata a loco, quam alii *Henodicam* dicerent a voluptate, in qua finem hominis eſſe ſtatuebat. De eo infra cap. XV. iterum, Seg. 5.

. *eſſe laudandam* [b] , *quod ſit. efficiens voluptatis* . Vero inquit obſcenus canis , aut ſus ille lutulentus [c] : *nam ideo cum adverſario ſumma virium contentione depugno, ut virtus mea pariat mihi voluptatem : cujus expers ſim neceſſe eſt , ſi victus abſceſſero .*

---

b *Virtutem ipſam ex eo eſſe laudandam* &c. Obſignavimus verba , quæ apud Cicer. L. III. de officiis prope finem leguntur . Al. *ex eo ipſo* .

c VERO , inquit , *obſcenus canis* , *aut Sus ille lutulentus* . Al. *Non erro vero* . Al. *Ita vero* . Al. *At verum* . Al. *verum* . Al. *verum eſt* . Nos lectionem Noſtri Codicis ſequimur , quæ vim habet pro *immo vero* ut L. 1. cap. XVII. *Tò Obſcenus Canis* &c. Notat Walchius ſic dictos fuiſſe Cynicos Philoſophos a rabioſa obſcenitate , & Sermonis licentia ; quamvis alii nomen hoc a Gimnaſio *Cynoſarges* deducant ; Sed heic Lactantius non de Cynicis , aut de eorum Præceptore agit , ſed de Cyrenaicis , ac de eorum Principe Ariſtippo , quem *Regium Canem* a Diogene fuiſſe appellatum , narrat Laertius in ejus vita L. II. Seg. *66.* , ejuſque doctrinæ conformis eſt ſententia illa , quam heic recitat Lactantius , & nos eam diverſo charactere ſcripſimus , quia in noſtro Codice diſtincte exarata eſt .

10.

Ab his ergo ſapere diſcemus , quos a pecudibus , ac belluis non ſententia , ſed lingua diſcernit ? Privationem doloris ſummum bonum putare , non plane Peripateticorum ,

 ac

ac Stoicorum [a], ſed Clinicorum [b] philoſophorum eſt.

---

a *Non plane Peripateticorum, ac Stoicorum*. Janus Guliel. apud Iſæum heic legendum putat: *Plano Peripateticorum*, ut ſcilicet exagitet inconſtantiam doctrinæ, ac erraticas Peripateticorum deambulationes. Nam *errones*: ΠΛΑΝΟΣ dici, notum eſt. Hoc autem ſine authoritate Codicum aſſerere, eſt ſuam promere eruditionem, non authoris mentem exponere.

b *Sed Clinicorum*. Sic nobiſcum plurimi Mss. Cod. legunt, & idem Janus Guliel. lectionem approbat, aliique poſt ipſum. Ita vero legendam omnino eſſe verba, quæ ſequuntur oſtendunt. Nam *Clinici* dicuntur illi, qui vel quia ægroti ſunt in lectis plerumque jacent, vel quod medicinam exercent, circa ægrotantium cubilia verſantur. S. Cyprianus in Epiſt. LXIX. Al. LXXVI. in utroque ſenſu idem vocabulum uſurpaſſe videtur. S. Hieronymus in Epitaph. Fabiolæ eo utitur ad ægros ſignificandos: contra vero Martialis L. I. 31.

Chirurgus erat; nunc eſt Veſpillo Diaulus.
Coepit, quo poterat, Clinicus eſſe modo.

Apud Gruterum p. 400. n. 7. ſecundum hanc acceptionem legitur inſcriptio: *P. Decimus, P. F. Eros, Merula. Medicus. Clinicus. Chirurgus. Ocularius.* Scio Harduinum eam falſi arguiſſe, ſed Marte ſuo, ſicuti ad Plin. L. XXV. Cap. V. ubi pro *Clinicis* legere maluit *Cynicis*. Ob haſce varias ejuſdem vocis ſignificationes quidam heic legunt: *Clinicorum Philoſophorum*. Al. *Cynicorum*, ſecunda voce omiſſa, Al. *Chymicorum*. Schottus nobiſcum legit, & hanc lectionem idem Lactantius indicat proximis verbis: *ab ægrotis in aliquo dolore poſitis .... quod Medicus dare poſ-*

poſſit. De ſecta autem Clinicorum loquitur Cyprianus ubi ſupra inquiens: *non interrogentur utrum-ne Clinici ſint, an Peripatetici*.

11.

Quis enim non intelligat, ab ægrotis, & in aliquo dolore poſitis, eſſe hoc diſputatum? Quid tam ridiculum, quam id habere pro ſummo bono, quod medicus poſſit dare? Dolendum eſt ergo, ut fruamur bono, & quidem graviter, ac ſæpe: ut ſit poſtea, non dolere, jucundius.

12.

Miſerrimus eſt igitur, qui numquam doluit, qui bono caret: quem nos feliciſſimum putabamus, quia malo caruit.

13.

Ab hac vanitate non longe abfuit [a], qui, omnino nihil dolere, ſummum bonum dixit. Nam præter quod [b] omne animal doloris eſt fugiens, quis poteſt ſibi hoc bonum præſtare, quod nobis, ut veniat, nihil aliud poſſumus, quam optare?

D 2 ſum-

a *Non longe abfuit*: Bon. *afuit*: Al. *fuit*.

b *Præter quod*. Al. *præterea*. Al. *prætereo*. Al. *præter quam quod*. Hunc locum laudavimus ad L. *de Opif. Dei* Cap. xix. Seg. 6.: & merito: Nam *præter* pro *præterquam* Cicero, Salluſt. Columella, aliique boni ſæpe uſurparunt. Vide Duk ad Flor. L. II. c. VI.

14.

Summum autem bonum non poteſt efficere quenquam beatum, niſi ſemper fuerit in ipſius poteſtate. Hoc autem non virtus homini, non doctrina, non labor, ſed natura ipſa cunctis animantibus præſtat.

15.

Qui voluptatem cum honeſtate junxerunt, communionem hanc effugere voluerunt. Sed effecerunt repugnans bonum. Quoniam qui voluptati deditus eſt, honeſtate careat neceſſe eſt, qui honeſtati ſtudet, voluptate [a]:

a *Honeſtati ſtudet, voluptate*: ſubintellige: *careat neceſſe eſt*. Unde Iſæus addidit *caret*, quam vocem alibi non inveni.

16.

Peripateticorum bonum nimium multiplex, & exceptis [a] animi bonis (quæ ipſa quæ ſint [b], magna contentio eſt,) commune cum belluis poteſt videri.

a *Et exceptis* &c. Copulam, & parentheſim ex authoritate Codicis noſtri appoſuimus, etiam Schotto conſentiente.

b *Quæ ipſa, quæ ſint*: Betulejus heic a Gallæo laudatus: *Ipſi quidem* de Peripateticis loquens ait: *Virtutes pro animi bonis, & ſcientias numerant; ſed illæ non tam veræ ſunt virtutes, quam virtutum umbræ, quia fide carent*. Sed cave ſubdolum Hæreticorum dogma; nam quamquam fides radix ſit, & fun-

fundamentum virtutis, non tamen hæc illa eſt ſine operibus, quam ſolam juſtificare homines, blaſphemavit Lutherus; ſed illa quæ per charitatem operatur, ut inquit Apoſt. ad Gal. v. & ſine qua fides ipſa mortua eſt, ut S. Jacob. docet Cap. II. Quum autem heic de virtutibus moralibus ſermo ſit, quæ eſſentialia virtutis habent in ſe ipſis, ut bonæ per ſe dicantur, & ſolummodo ad hoc, ut ad perfectum ſtatum perveniant, ſubjectum requirant fide, & charitate perfuſum, cave credas in Ethnicis eas malas fuiſſe. Hic enim Ejuſdem Lutheri error eſt propoſ. II. in Artic. a Facul. Pariſ. dam. ubi legitur: *Omnes virtutes morales, & ſcientiæ ſpeculativæ, non ſunt veræ virtutes, & ſcientiæ, ſed peccata, & errores*. Idem error damnatus eſt in Bajo, & Queſnellio, ut dicimus Diſſ. xxviii. Cap. I. §. VIII. Adde Auguſt. L. *de Spir. & Liter.* Cap. xxvii. & ſeq.

17.

Nam corporis bona, id eſt, incolumitas, indolentia [a], valetudo, non minus ſunt mutis, quam homini neceſſaria: ac neſcio, an etiam magis: quia homo & medelis [b], & miniſteriis ſublevari poteſt, muta non poſſunt.

a *Indolentia*: Vox eſt a Cicerone III. de Offic. & II. de Finib. uſurpata, qua & Seneca Epiſt. LXVI. uſus eſt, ad ſignificandam *vacuitatem doloris*, ſeu animi, corporiſque quietem. Vide Fabric., & Græv. ad L. C. Al. *indolentia*.

b *Et Medelis*: Bon. *Medellis*.

18.

Item, quæ appellant fortunæ bona; nam

ſicut

ſicut homini opibus ad vitam tuendam, ſic illis præda, & pabulis opus eſt [a].

a *Sic illis præda, & pabulo opus eſt*. Sic Aldus. Al. *Ita illis .... eſt opus*.

19.

Ita inducendo [a] bonum, quod non ſit in hominis poteſtate, totum hominem alienæ ditioni ſubjugaverunt [b].

a *Ita inducendo* Bon. *indocendo*: Aldus *Ita docendo*. Schottus *inducendo bono*.

b *Subjugaverunt* Al. *Subjugarunt*.

20.

Audiamus etiam Zenonem: nam is interdum virtutem ſomniat [a]. *Summum*, inquit, *eſt bonum, cum natura conſentanee* [b] *vivere*. Belluarum igitur nobis more vivendum eſt.

a *Interdum virtutem ſomniat*. Plurima Zenenonis turpiſſima dogmata refer Sext. Empir. L. III. C. xxiv. Pirrhon. hypot. n. 205. ſeq., quæ etiam retuliſſe nefas eſt; iccirco ſi is de virtutibus aliquando locutus eſt, & ſummi boni rationem in illis poſuit, tunc ſomniaſſe videri potererat.

b *Cum natura conſentanee vivere*: Nihil prudentius dici potuiſſet ſi de natura rationali ante peccatum originis ſermo eſſet. Nihil enim quod bonum morale non ſit, tali congruit naturæ. Quamquam non in eo ſita eſt ſummi boni ratio, ut infra bene oſtendit Lactantius. At quum naturam hominis non niſi corruptam, ac in deterius ſemper pronam noverit Zeno, hinc ex pravo principio in peſſimas conſecu-

tio-

tiones eum dilabi neceſſe fuit. At ſatis pejora ſunt, quæ ad idem principium; & conſectaria ejus conſtabilienda Naturaliſtæ horum temporum excogitarunt, adverſus quos egimus Diſſ. xxviii. Cap. iv. §. xxv.

21.

Nam quæ abeſſe debent ab homine, in his omnia [a] deprehenduntur: voluptates appetunt, metuunt, fallunt, inſidiantur, occidunt: & quod ad rem maxime attinet, Deum neſciunt.

a *In his omnia*: Al. *in his omnibus*. Nobiſcum legit Aldus.

22.

Quid ergo me docet, ut vivam ſecundum naturam, quæ ipſa [a] in deterius prona eſt, & quibuſdam blandimentis levioribus in vitia præcipitat?

a *Quæ ipſa*: Al. *quia ipſa*. Aldus noſtram lectionem reſtituit.

23.

Vel ſi aliam [a] mutorum, aliam hominis dicit eſſe naturam, quod homo ad virtutem ſit genitus [b], nonnihil dicit; ſed tamen non erit definitio ſummi boni: quia nullum eſt animal, quod non ſecundum naturam ſuam vivat.

 Qui

a *Vel ſi aliam*. Al. *Sed ſi*. Aldus *vel* repoſuit.
b *Quod homo ad virtutem ſit genitus* Al. *generatus*.

24.

Qui ſcientiam ſummum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit [a]. Sed ſcientiam alterius rei gratia homines appetunt [b], non propter ipſam.

---

a *Homini proprium dedit* Bon. *proprium fecit*, quæ ejuſdem verbi repetitio eſt Librarii amanuenſis.

b *Scientiam alterius rei gratia homines appetunt*. Eſt enim medium, quo ad veritatem perducimur.

25.

Quis enim ſcire contentus eſt, non expetens aliquem fructum ſcientiæ? Artes ideo [a] diſcuntur, ut exerceantur: exercentur autem vel ad ſubſidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Non eſt igitur ſummum bonum, quod non propter ſe expetitur.

---

a *Artes ideo &c.* Bon. *Vnius ideo*: ſine ſenſu.

26.

Quid ergo intereſt, utrum ſcientiam [a] ſummum bonum putemus, an illa ipſa, quæ ſcientia ex ſe parit, id eſt victum, gloriam, voluptatem? Quæ non ſunt homini propria, & ideo ne ſumma quidem bona [b]. Nam voluptas-

---

a *Vtrum Scientiam*. Bon. *verum Scientiam*.

b *Et ideo ne ſumma quidem bona*. Heum: ait: *hæc verba gloſſema manifeſtum continent*; Sed omnes Codd., & editi illa retinent, nec video quare delen-

ptatis, & victus appetentia non homini ſolum, ſed etiam mutis ineſt.

lenda ſint, quum etiam Cicero dixerit pro Marcello: *Quæ non modo ſumma bona; ſed audebo vel ſola dicere*.

27.

Quid cupiditas gloriæ? Nonne in equis [a] deprehenditur, quum victores exultant, victi dolent?

Tantus amor laudum, tanta eſt victoria curæ.

Nec immerito ſummus poëta experiendum eſſe ait [b]:

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

a *Nonne in equis*: Aelianus L. III. Cap. II. *de Nat. Animal.* de Equis Medis inquit: *Sentire videntur magnitudinem, & pulchritudinem ſuam; itemque ſe magnifice exornatos.*

b *Nec immerito ſummus Poeta experiendum ait:*
Et quis cuique &c.

His caret noſter Codex; Quia tamen alii omnes hæc habent, ideo ea retinuimus; Non tamen ſine gloſſematis ſuſpicione, nam ſecundum carmen, ſicut in ordine primus eſt, ita & heic primo loco poterat ab authore commodius recitari. *Virgil Geor. L. III.* ℣. 102. & 112.

28.

Quod ſi ea, quæ parit ſcientia, communia ſunt cum aliis animalibus: non eſt ergo ſummum bonum ſcientia. Præterea

non

non mediocre hujus definitionis [a] eſt vitium, quod ſcientia nuda ponitur. Incipient enim beati omnes [b] videri, qui artem aliquam ſcierint, imo vero qui & res malas ſcierint: ut tam beatus ſit, qui venena didicerit temperare, quam qui mederi.

a *Hujus definitionis*. Al. *diſputationis*. Legit nobiſcum Aldus.
b *Beati omnes*. Al. *Beatiores*. Male.

29.

Quæro igitur, ad quam rem ſcientia referenda ſit: ſi ad cauſſas rerum naturalium: quæ beatitudo mihi erit propoſita, ſi ſciero unde Nilus oriatur, vel quicquid de cælo Phyſici delirant? Quid? quod earum rerum non eſt ſcientia, ſed opinatio [a], quæ pro ingeniis varia eſt?

a *Opinatio*. Al. *opinio*. Lectio noſtra aptior eſt, etiam ab Aldo adoptata.

30.

Reſtat ut ſcientia bonorum, ac malorum, ſummum bonum ſit. Cur ergo ſcientiam maluit, quam ipſam ſapientiam ſummum bonum dicere, quum ſit utriuſque ſignificatio, & vis eadem? Nemo tamen uſque adhuc [a] ſum-

a *Nemo tamen uſque adhuc*. Heum: *Plebeja*, ait, *hæc dictio videtur, vix uſitata elegantioribus*; Quamvis ipſe met Plauti exempla afferat, nec deſint Plinii, Svetonii, aliorumque bonorum: Conſule indicem Weſterhovii, & Bunem. heic.

ſummum bonum dixit eſſe ſapientiam quod melius dici potuit.

31.

Nam ſcientia parum eſt ad bonum ſuſcipiendum, malumque fugiendum: niſi accedat & virtus. Multi enim philoſophorum, quum de bonis,maliſque diſſererent,aliter tamen, quam loquebantur, natura cogente, vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autem cum ſcientia conjuncta, eſt ſapientia.

32.

Supereſt, ut eos etiam refellamus, qui virtutem ipſam ſummum bonum reputaverunt. In qua opinione etiam M. Tullius fuit: in quo multum inconſiderati a fuerunt. Non enim virtus ipſa eſt ſummum bonum, ſed effectrix, & mater eſt ſummi boni: quoniam perveniri ad illud ſine virtute non poteſt. Utrumque intellectu facile eſt b.

a *Multum inconſiderati*. Schottus. *Multi*.
b *Intellectu facile eſt*. Al. *eſt facile*.

33.

Quæro enim, utrumne ad præclarum illud bonum facile perveniri putent, an cum difficultate, ac labore? Expediant acumen ſuum, erroremque defendant:

Si

34.

Si facile *a* ad illud, ac ſine labore pervenire poteſt, ſummum bonum non eſt. Quid enim nos cruciemus *b*, quid conficiamus enitendo diebus, & noctibus? Quandoquidem tam in promptu id, quod quærimus, jacet, ut illud quilibet ſine ulla contentione animi comprehendat *c*.

---

a *Si facile*: Bon., & Aldus *ſed ſi facile*.
b *Quid enim nos cruciemus* Bon. *Quin ... erudiemus*.
c *Comprehendat* Aldus *aprehendat* Al. *deprehendat*.

35.

Sed ſi commune quoque, ac mediocre quodlibet bonum non niſi labore aſſequimur, quoniam bonorum natura in arduo poſita eſt, malorum in præcipiti: ſummo igitur labore ſummum bonum aſſequi neceſſe eſt. Quod ſi eſt veriſſimum *a*, ergo altera virtute opus eſt, ut perveniamus ad eam virtutem, quæ dicitur ſummum bonum, quod eſt incongruens *b*, & abſurdum, ut virtus per ſeipſam perveniat ad ſemetipſam.

---

a *Si eſt veriſſimum*. Al. *ſi veriſſimum eſt*.
b *Quod eſt incongruens* Bon. *quod ſi eſt* &c.

36.

Si non poteſt ad ullum bonum niſi per laborem perveniri: quoniam in ſuſcipiendis, ac per-

perferendis laboribus vis, officiumque [a] virtutis eſt. Ergo ſummum bonum non poteſt eſſe id, per quod neceſſe eſt ad aliud perveniri.

a *Vis, officiumque* Bon. *Virtus, officiumque*.

37.

Sed illi, quum ignorarent quid efficeret virtus, aut quo tenderet, honeſtius autem nihil reperirent: ſubſtiterunt in ipſius virtutis nomine: quam nullo propoſito emolumento, appetendam eſſe dixerunt: & bonum ſibi conſtituerunt [a], quod bono indigeret.

a *& bonum ſibi conſtituerunt* Bon. *ut bonum* &c.

38.

Ariſtoteles [a] ab iis non longe receſſit, qui virtutem cum honeſtate ſummum bonum putavit: quaſi poſſit ulla virtus eſſe inhoneſta: ac non ſiquid habuerit turpitudinis, virtus eſſe deſinat.

a *Ariſtoteles*. Schottus iterum legit. *Ariſto Coxus*. In Cod. Aldi diverſo charactere *Ariſtoteus*.

39.

Sed vidit fieri poſſe, ut de virtute pravo judicio male ſentiatur: & ideo exiſtimationi hominum ſerviendum putavit, quod qui facit, a recto, bonoque diſcedit, quia non eſt in noſtra poteſtate, ut virtus pro ſuis meritis

ritis honeſtetur. Nam quid eſt honeſtas, niſi honor perpetuus [a]; ad aliquem ſecundo populi rumore delatus?

---

a *Niſi honor perpetuus &c.* Cicero in Oratorum Catalogo, inquit, *Quum honos ſit præmium Virtutis, judicio, ſtudioque Civium delato ad aliquem, qui eum ſententiis, & ſuffragiis adeptus eſt, is mihi & honeſtus, & honeratus videtur.* Addidit heic Betulejus. *Sed quid ſibi iſtuc vult Cicero? Quis quæſo honos fuit, quum exulares? exilium (opinor, inquies,) calamitatis, non ignominiæ Vocabulum eſſe*, Sed adde, ſi ſine crimine quis fiat extorris.

40.

Quid ergo fiet, ſi errore, ac pravitate hominum, mala exiſtimatio ſubſequatur? Abjiciemus ne virtutem, quia flagitioſa, & turpis ab inſipientibus judicetur?

41.

Quæ quoniam invidia premi, ac vexari poteſt: ut ſit ipſa proprium, ac perpetuum bonum [a], nullo extrinſecus adjumento indigere debet, quin ſuis per ſe viribus nitatur, & conſtet.

---

a *Ut ſit ipſa proprium, ac perpetuum bonum.* Al. *ut ſit ipſum.* Aldus nobiſcum legit.

42.

Itaque nec ullum ei ab homine bonum ſperan-

randum eſt: nec ullum malum recuſandum [a].

a Al. hocce caput protrahunt.

CAP. IX.

1.

VEnio nunc ad veræ ſapientiæ ſummum bonum, cujus natura hoc modo determinanda eſt: Primum, ut ſolius hominis ſit: nec cadat in ullum aliud animal. Deinde, ut ſolius animi, nec communicari poſſit cum corpore [a]: Poſtremo ut non poſſit cuiquam ſine ſcientia [b], & virtute contingere.

a *Cum corpore*. Intellige viſionem beatam, quæ oculo corporeo aſſequi non poteſt.

b *Sine ſcientia, & virtute*. Virtus cum ſcientia conjuncta ex Lactantio ſapientia eſt; ſapientia autem vera religio,

2.

Quæ circumſcriptio [a] illas omnes [b] ſententias excludit, ac ſolvit. Eorum enim, quæ dixerunt, nihil tale eſt,

a *Quæ circumſcriptio*: Bon. *circumſcribtio*: Bun. explicat: I. e. *determinatio*. n. 1. L. VII. 6. 1.

b *Illas omnes* Al. *illorum omnes*.

3.

Dicam nunc, quid ſit; ut doceam (quod inſtitui) philoſophos omnes cæcos, atque inſipientes fuiſſe: qui, quod eſt homini ſummum

mum bonum conſtitutum, nec videre, nec intelligere, nec ſuſpicari aliquando quiverunt [a].

a *Nec ſuſpicari aliquando quirerunt.* Al. *potuerunt.*

4.

Anaxagoras, cum ab eo quæreretur, cujus rei cauſſa natus eſſet: reſpondit; ſolis, ac cæli videndi [a]. Hanc vocem admirantur omnes, ac philoſopho dignam judicant.

a *Solis, ac Caeli videndi*. Hoc idem repetit Lact. L. III. C. XXIII. Seg. II. L. VI, I. 2. Nos de Anaxagora aliqua diximus ad L. I. C. V., & quod heic memorat Lactantius, habetur apud Laert. L. II. Segm. 11. Betulejus heic, & Jacobus Thomaſ. præfat. XIV. Lactantium ſugillant, quaſi ſiniſtre interpretetur Anaxagoræ dictum, quod explicari potius debuerat per illud aliud ejuſdem Philoſophi apophthegma, *Mihi vero Patriæ cura, & quidem ſumma eſt*: DIGITUM IN COELUM INTENDENS. At ſi bene heic attendas, ſtatim videbis, quam bene Lactantius, quam inepte Critici iſti locuti ſint. Nam quis neſciat, ridiculum eſſe dicere: *Natus ſum, ut Patriam meam inſpiciam?* Utique ſapienter dictum eſt, *Patriam noſtram Caelum eſſe*; at non ideo naſcimur, ut ejuſdem aſpectu contenti ſimus; ſed ut illuc bonis operibus pervenire tandem poſſimus, quod minime curaſſe Anaxagoram ex alio ejuſdem Apophthegmate colligo; ſiquidem indignanti cuidam, ac moleſte ferenti, quod in alieno ſolo moraretur, inquit: *Bono eſto animo. Similis enim undique in Infernum deſcenſus eſt*. Id autem quod addit Betulejus, & a Gallæo, & Wal-

Walchio repetitur nempe: *Sed quid Lactantii? Numquid idem dicit, quod tu, quum Naſonem imitatus,* τοῦ ανθρώπου *etymologiam rimabatis?* Immane commentum eſt, quod detegunt, & ſimul delent ibidem a nobis annotata; & ipſa Lactantii verba L. II. C. I. Seg. 15. ubi ait: *Parens enim noſter ille unus, & ſolus, quum fingeret hominem, i. e., animal intelligens, & rationis capax; eum vero ex humo ſublevatum, ad contemplationem ſui Artificis erexit, quod optime ingenioſus Poeta ſignavit*. Adde Cap. XII. Seg. 26. Cap. XX. Seg. II., & præcipue Cap. XXVII. Seg. 13. &c. Idem-ne eſt Artificis ſummi, ac ejus artefacti contemplatio? Cauſſa, propter quam homo natus eſt, Cœleſtia corpora ſunt, an qui illa ex nihilo produxit, & quidem propter hominem? Vide infra ad Cap. XXIII. Seg. II., & ad L. V. Cap. I. Seg. 2., & heic Seg. 16. ubi Anaxagoræ dictum confutatur.

5.

At ego hunc puto non invenientem quid reſponderet, effudiſſe hoc paſſim [a], ne taceret. Quod quidem ſecum, ſi ſapiens fuiſſet, commentatum, meditatumque habere debuit [b], quia ſiquis rationem ſui neſciat, non

a *Effudiſſe hoc paſſim*. Heum. ſuo marte: *effutiiſſe*. Et pro *paſſim* legere mallet *ipſum*. Sed non intellexit heic *paſſim* idem valere ac *temere*, ut bene vidit Bunem.

b *Commentatum, meditatumque habere debuit*. Al. *& meditatum*. *Commentatum* paſſive ſumptum invenies apud Heuſing. ad Vechner. Hallenol p. 115. ex Bunem. Vide ad L. I. cap. V. ſeg. 10.

non homo ſit quidem [c]. Sed putemus non ex tempore [d] dictum illud effuſum.

c *Non homo ſit quidem*: Al. *ne homo*.
d *Ex tempore*: I. E. *repentino*. In repentinis enim utimur habitibus, & quæ in mentem veniunt temere proferimus.

6.

Videamus, in tribus verbis quot, & quanta peccaverit. Primum, quod omne hominis officium in ſolis oculis [a] poſuit, nihil ad mentem referens, ſed ad corpus omnia.

a *In ſolis oculis*: ſic etiam Aldus. Al. *in oculis*.

7.

Quid ſi cæcus fuiſſet, officium ne hominis amitteret? quod fieri ſine occaſu animæ non poteſt. Quid cæteræ corporis partes? num carebunt ſuis quæque muneribus [a]?

a *Num carebunt ſuiſquæque muneribus*? Al. *anne carebunt* &c. Schottus. *Carebunt ne* &c. Bon. pro *muneribus* legit *nominibus*. Al pro *quæque* habent *quoque* Aldus legit cum Bononienſi.

8.

Quid, quod plus eſt in auribus, quam in oculis ſitum? quoniam doctrina, & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt [a], oculis ſolis [b], non poteſt.

a *Doctrina, & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt.* Hinc illud Iſaiæ LIII. V. 1. *Domine quis credidit auditui*

tui noſtro! unde Paulus ad Rom. x. V. 17. concludit: *Ergo Fides ex auditu*.

b *Oculis ſolis*. Vox ſecunda non adeſt in noſtro Cod., quæ in cæteris omnibus legitur.

9.

Cæli, ac Solis videndi cauſſa natus es? Quis te in hoc ſpectaculum [a] induxit? aut, quid cæli, rerumque naturæ viſio tua confert? Nimirum, ut hoc immenſum, & admirabile opus laudes.

a *Spectaculum*. Non ſolum hocce vocabulum id ſignificat, quod ſpectatur, ut E.g. Ludi, & alia id genus; ſed etiam uſurpatur pro loco illo, unde talia ſpectantur. Livius L.1. C. 1. *Tum primum Circo, qui nunc maximus dicitur, deſignatus eſt locus; loca diviſa Patribus, equitibuſque, uti ſpectacula ſibi quiſque faceret, Fori appellati. Spectavere, furcis duodenos ab terra ſpectacula alta ſuſtinentibus pedes*.

10.

Confitere igitut eſſe rerum omnium [a] conſtitutorem Deum: qui te in hunc mundum, quaſi teſtem, laudatoremque tanti ſui operis induxit.

a *Confitere igitur eſſe rerum omnium*. Al. *Confitere ergo r. o. eſſe*.

11.

Magnum eſſe credis, videre cælum, atque ſolem: cur ergo non gratias agis ei, qui hujus beneficij author eſt? cur non ipſius virtu-

tem, providentiam, poteſtatem metiris animo, cujus opera miraris? Neceſſe eſt enim [a], multo mirabilior ſit, qui mirabilia perfecit [b].

a *Neceſſe eſt enim*. Al. *etenim neceſſe eſt*.
b *Mirabilia perfecit*: Al. *fecit* Al. *fecerit*.

12.

Si te quiſpiam vocaſſet ad cœnam, in eaque optime acceptus eſſes: num ſanus viderere [a], ſi pluris faceres ipſam voluptatem, quam voluptatis authorem? Adeo philoſophi ad corpus referunt omnia, nihil prorſus ad mentem: nec vident amplius, quam quod ſub oculos venit.

a *Num ſanus viderere* Al. *non ſanus*. Al. *numquid ſanus*. Al. *madereri*.

31.

Atqui remotis omnibus officiis corporis, in ſola mente ponenda eſt hominis ratio. Non ergo ideo naſcimur, ut ea, quæ ſunt facta, videamus: ſed ut ipſum factorem rerum omnium contemplemur, id eſt, mente cernamus.

14.

Quare ſi quis hominem, qui vere ſapit, interroget, cujus rei cauſſa natus ſit: reſpondebit intrepidus, ac paratus: colendi ſe Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut ei ſerviamus; ſervire autem Deo, nihil aliud

aliud eſt, quam bonis operibus tueri, & conſervare juſtitiam [a].

a *Tueri, & conſervare juſtitiam*. Al. *tueri, & facere*. Al. *tueri, & defendere*.

15.

Sed ille, ut homo divinarum rerum imperitus, rem maximam redegit ad minimam, duo ſola adfigendo [a], quæ ſibi diceret intuenda.

a *Duo ſola adſingendo*, Al. *affingendo*. Ubi Al. *deligens*. Al. *deligendo*. Al. *diligendo*. Al. *eligendo*. Sed nihil mutandum cenſeo; immo lectionem noſtram pro genuina retineo, quum alii Mss. Codices conſenſiant cum Aldo; & Barberinus unus *fingendo*, ut 1. Regius apud Langletium, qui & alium Regium Codicem laudat, ubi *fingendo* legitur. Idem enim valet *fingo*, ſeu *affingo*, quamvis compoſitum adhibeatur proprie ad ſignificandum id, quod *opinione*, aut *errore* quomodocumque proferimus. Cic. L. III. Tuſc. *Qui nihil opinione affingat*. Ibidem *Quia huic generi malorum non affingitur illa opinio*, & pro Cluentio: *Faciam namque, ut intelligatis in tota illa cauſſa, quid res ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit*.

16.

Quod ſi natum ſe eſſe dixiſſet [a], ut mundum intueretur, quanquam omnia comprehenderet, ac majori uteretur ſono: tamen non

a *Si natum ſe eſſe dixiſſet* &c. Forte hoc idem dicere voluit Anaxagoras, ut erui poteſt ex Ariſtotele *I. Eudem Cap.* v.

non impleſſet hominis officium. Quia quanto pluris eſt anima, quam corpus: tanto pluris eſt Deus, quam mundus [b]: quia mundum Deus fecit, & regit.

b *Tanto pluris eſt Deum quam mundus*. Intellige ſine aliqua proportione, quæ dari non poteſt finitum inter, & infinitum.

17.

Non ergo mundus oculis, quia utrunque eſt corpus, ſed Deus animo contemplandus eſt: quia Deus, ut eſt ipſe immortalis, ſic animum voluit eſſe ſempiternum. Dei autem contemplatio eſt, venerari, & colere communem parentem generis humani.

18.

Quod ſi a philoſophis abfuit, projectique in terram fuerunt divina ignorando: exiſtimandus Anaxagoras, ea, ad quæ videnda natum eſſe ſe dixit [a], nec cælum vidiſſe, nec ſolem.

a *Ad ea, quæ videnda natum eſſe ſe dixit*. Al. *ad ea*, *ad quæ* Al. Tò *ad ea* non habent. Al. *pro dixit* legunt: *dixerit*, ut in noſtro Bonon. Ms. Cod.

19.

Expedita eſt igitur hominis ratio, ſi ſapiat: cujus propria eſt humanitas. Nam ipſa humanitas quid eſt, niſi juſtitia? quid juſtitia, niſi pietas? pietas autem nihil aliud eſt, quam Dei parentis agnitio.

CAP.

C A P. X.

1.

SUmmum igitur hominis bonum in ſola religione eſt [a]: nam cætera, etiam quæ putantur eſſe hominis propria, in cæteris quoque animalibus reperiuntur.

a *In ſola Religione eſt*. Hæc repetuntur Cap. VII. *de Ira Dei*. Betuleius autem notat heic, ne Religionem quidem eſſe finem bonorum, quum ea ſit ratio, & modus, quo ad eum pervenitur finem, qui in æterna Dei fruitione ab eodem Betuleio conſtituitur. At ſummum bonum, in quo ratio ultimi finis ſita eſt, non fruitio, ſed cognitio Dei eſt, ut docet S. Thomas, & clare innuitur Jo. XVII. v. 3. *Hæc eſt autem vita æterna: ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Quum igitur homo viator, in ſola Chriſtiana Religione conſtitutus, poſſit per verbum Dei revelatum illam Dei notitiam habere per fidem, quam poſt mortem ſuæ mentis acie, lumine gloriæ perfuſa, eſt habiturus, ſapientiſſime dixit Lactantius, ſummum hominis bonum in ſola Religione reperiri, in qua ſolummodo vera juſtitia, vera pietas, vera Dei agnitio acquiri poteſt. Hanc ſententiam habes in Pimand. Cap. IX., ut ad L. II., & V. annotavimus.

2.

Quum enim ſuas voces propriis inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt, colloqui videntur. Ridendi quoque ratio [a] appa-

 ret

a *Ridendi quoque ratio*. Aldus hanc Lectionem approbat. Al. *ridendique ratio*.

ret in his aliqua, quum demulſis auribus [b], contractoque rictu, & oculis in laſciviam reſolutis, aut homini alludunt, aut ſuis quiſque conjugibus, ac fœtibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ ſimile impertiunt [c]?

b *Quum demulſis auribus*. Al. *demiſſis auribus*. Al. *devulſis* Al. *demulſas*. Vide ad Lib. *de Ira Dei* Cap. VII. Seg. 9. ubi hæc iterum. *Demulgere aures*. Adde Turneb. XX. XXI.

c *Impertiunt?* Bon. *impetiunt*. Iſæus. *impartiunt*.

3.

Jam illa, quæ ſibi proſpiciunt in futurum, & cibos reponunt, habent utique providentiam [a]. Rationis quoque ſigna in multis deprehenduntur. Nam quando utilia ſibi appetunt, mala cavent [b], pericula vitant [c], latibula ſibi parant in plures exitus diſpatentia [d]: perfecto aliquid intelligunt [e].

a *Habent utique providentiam*. Quamquam Bon. Cod. habet *prudentiam* cum aliis pluribus legendum puto ex L. *de Ira Dei* Cap. VII. ſuperius laudato, ubi Seg. II. *Alia*, inquit Noſter, provident in futurum. Aldus ad oram libri annotat. *Muſcarum providentia*.

b *Mala cavent*. Bon. *malo cavent*.

c *Pericula vitant*. Al. *periculum*.

d *In plures exitus diſpatentia*. Al. *diſparentia*. Cellario inuſitatum hocce verbum viſum eſt: attamen aptius aliis omnibus, quæ cum in MMſs. tum in editis

tis leguntur. *Diſperentia*, *differentia*, *diffidentia*, *diſtantia*.

e *Profecto aliquid intelligunt*. Vide G. H. Riborii Helmſt. Diſſ. Philoſoph. *de Anima Brutor. Cap.* præſertim xxv., *& in annot. ad L. Hieron. Rorarii* de eodem argumento; Cave tamen putes cum Thoma Campanella: in Brutis eſſe *diſcurſum & intellectum*; menifeſte enim Pſal. xxxi. ℣. 11. habetur: *Nolite fieri ſicut Equus, & Mulus, quibus non eſt intellectus*. Intelligere autem heic a Lactantio ſumitur pro cognoſcere, ut fuſius Diſſ. xxv. Cap. vi. §. viii.

4.

Poteſt aliquis negare illis ineſſe rationem [a] quum hominem ipſum ſæpe deludant? Nam quibus generandi mellis [b], officium eſt, quum aſſignatas incolunt ſedes, caſtra muniunt, domicilia inerrabili arte componunt, regi

a *Ineſſe rationem*. Quum Brutis intellectus datus non ſit, multo minus iis tribui ratio poteſt. Ratio autem, quæ in eis eſt, pro modo illo, quo operantur per æſtimativam potentiam uſurpatur, ut l. c. videbimus. Nam de Lactantii ſententia certi ſumus, quum pluribus in locis, & præſertim C. viii. Seg. 8. hujuſce libri dixerit, Bruta animas eſſe *rationis expertes*.

b *Quibus generandi mellis* &c. De Apum natura heic Lactantius loquitur, de qua non ſolum veteres, ſed recentiores quoqne res vere mirabiles prodidcrunt. Inter omnes mihi viſos eminet LeeuWenhoekius in opere, cui Titulus: *Apum natura detecta*.

regi ſuo ſerviunt [c]: neſcio, an in his perfecta ſit prudentia [d].

c *Regi ſuo ſerviunt.* Idem, qui ſupra, putatur a quibuſdam primus, qui viderit, Apum examinibus hoc a natura inditum eſſe, ut in illarum coetu non plures una habeant femellas, quam vulgo Regem appellant; Sed hæc eadem opinio refertur ab Ariſtotele L.v. Hiſt. Anim. Cap. xxi. *Duces a nonnullis vocantur Matres*, utpote parturientes. Et id, quod modo ſpectatur in alvearibus vitreis, tunc in iiſdem, ex cornu tranſlucente compactis, commodius inſpici poterat, & diutius in eorundem opus contemplandum verſari. Siquidem ne per vitrum conſpiciantur, antequam opus incipiant, cera parietes deliniunt, quod in corneis alvearibus non niſi in dies facere conſueverunt.

d *Neſcio an in his perfecta ſit prudentia*. Prudentiæ vocabulum non illam virtutem ſolam ſignificat, quæ proprie intellectualis eſt, & ſolius hominis propria, definiturque: *Rerum bonarum, & malarum, & utrarumque ſcientia*; Verum denotat quoque facultatem expetendarum, fugiendarumque rerum a providentia animalibus indita, ne mutuo conflictu, aut propria incuria omnino pareant: quæ facultas quamquam a providendo, ut vult Cicero, prudentia dici poſſit, in ſuo genere perfecta, non tamen abſolute perfecta prudentia eſt, quum hoc de virtute unice prædicetur.

5.

Incertum eſt igitur [a], utrumne illa, quæ homini tribuuntur, communia ſint cum aliis vi-

a *Incertum eſt igitur* &c. Et ſi non omnes ſimul ani-

viventibus; religionis certe ſunt expertia.

animantes eoſdem ſenſus habeant, quibus homo præditus eſt; quædam tamen Bruta iiſdem gaudent, & quidem perfectioribus; unde ad vitæ commoda addiſcenda hominibus utiliſſimæ eſſe noſcuntur. Hinc ſapiens *Prov.* VI. ℣. 6. *Vade*, inquit, *ad formicam, o Piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam*. Ubi addunt Septuaginta: *Aut vade ad Apem, & diſce quomodo operaria eſt; operationem quoque quam venerabilem facit. Cujus labores Reges, & idioatæ ad ſanitatem afferunt. Appetibilis eſt autem omnibus, & clara, etiam quum ſit robore infirma: Sapientiam honorans, evecta eſt*. Conf. S. Ambroſ. in Hexam. L. V. XXI. & S.Hieron. in Ezechiel. III. Quos autem animalia ſingula ſenſus habeant cum hominibus communes, hoc incertum eſt, ut ait Lactantius, neque ab aliquo hactenus ſatis explanatum eſt.

6.

Equidem ſic arbitror, univerſis animalibus eſſe datam rationem [a], ſed mutis tantummodo ad vitam tuendam, homini etiam ad propagandam [b]. Et quia in homine ratio ipſa perfecta eſt, ſapientia nominatur, quæ in

a *Univerſis animalibus eſſe datam rationem*: Scilicet imperfectam, & quæ ad propriam vitam tuendam ſolummodo apta ſit, ut ſtatim ſubdit Lactantius. Hanc vocant *inſtinctum naturalem*, ſeu *appetitum ſenſitivum*, aut *æſtimativam facultatem*, Organo corporeo vim ſuam exercentem.

b *Homini etiam ad propagandam*. Inſcite quidam Lactantium heic reprehendunt, quaſi loquentem de pro-

in hoc eximium facit hominem: quod ſoli datum eſt homini intelligere divina.

propagatione prolis, quam communem habent homines cum Brutis; *At propagare vitam eſt eam in longius producere*; ac proinde intelligendum eſt heic Lactantius de vita Beata in æternum a ſolo homine acquirenda, & poſſidenda per veram Religionem. Al. *homini autem ac propagandam*. Sed male; nam ſenſus eſt, rationem datam eſſe brutis animalibus ad ſolam vitam tuendam, hominibus vero ad tuendam ſimul, atque ad propagandam.

7.

Qua de re Ciceronis vera eſt ſententia: *Ex tot*, inquit, *generibus nullum eſt animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipſiſque in hominibus nulla gens eſt neque tam manſueta* [a], *neque tam fera, quæ non, etiam ſi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum ſciat.*

a NEQUE TAM MANSUETA. Al. *immanſueta*: Lectionem noſtram Thomas. Heum. & Aldus defendunt, ut in hiſce verbis nationes omnes comprehendantur; quamquam Bunem. ex Ciceronis operibus aliam retineat.

8.

Ex quo efficitur, ut his agnoſcat Deum, *qui, unde ortus ſit, quaſi recordetur.*

9.

Qui ergo philoſophi volunt animos omni me-

metu liberare: tollunt etiam religionem, & orbant hominem ſuo proprio, ac ſingulari bono: quod eſt a recte vivendo, atque ab omni humanitate diſjunctum: quia ut Deus cuncta viventia ſubjecit homini, ſic ipſum hominem ſibi.

10.

Nam quid eſt, cur iidem ipſi diſputent, eo dirigendam eſſe mentem, quo vultus erectus eſt? Si enim nobis cælum ſpectandum eſt: ad nihil aliud utique quam ob religionem. Si religio tollitur: nulla nobis ratio cum cælo eſt.

11.

Itaque aut eo eſt ſpectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere, niſi velimus, quidem non poſſumus [a], quorum ſtatus rectus eſt.

a *Niſi velimus, quidem non poſſumus.* Al. *Ne ſi velimus, quidem non poſſumus.*

12.

In cælum igitur ſpectandum eſt: quo natura corporis provocat. Quod ſi conſtat eſſe faciendum: aut ideo eſt faciendum, ut religioni ſerviamus: aut ideo, ut rationem rerum cæleſtium cognoſcamus.

13.

Sed rationem rerum cæleſtium cognoſce-

re

re a nullo modo poſſumus, quia nihil ejuſmodi poteſt cogitando inveniri, ſicut ſupra docui b.

a *Sed rationem rerum Cæleſtium cognoſcere*. Hæc omnia deſunt in noſtro Codice, in quo verbum *iſta* præcedens depravatum eſt ita, ut pro *cognoſcamus*, factum ſit *cognoſcere*: Omiſſis reliquis.
b *Sicut ſupra docui* L. III. Cap. III. ſeg. 5.

14.

Religioni ergo ſerviendum eſt, quam qui non ſuſcipit, ipſe ſe proſternit in terram: & vitam pecundum ſecutus, humanitate ſe abdicat.

15.

Sapientiores igitur imperiti: qui etiamſi errant in religione delidenda: tamen naturæ ſuæ, conditioniſque meminerunt.

CAP. XI.

1.

Conſtat igitur totius humani generis conſenſu, religionem ſuſcipi oportere a, ſed

a *Conſtat igitur totius humani generis conſenſu, religionem ſuſcipi oportere*. Non Hebræi, aut Chriſtiani ſolummodo hanc veritatem docuerunt, ſed etiam Philoſophi Gentiles, & Ethnici rudiores. Vide Plutarch. *adverſus Colotem Epicureum*, Artemidorum L. I. cap. IX. Aelianum L. II. cap. XXXI. Sextum Em-

ſed quomodo in ea erretur, explicandum eſt.

Empiricum *contra Matth.* &c. ex recentioribus Huetium *in concordia rationis, & Fidei*. Johan. *Lud.* Fabricium *in Apologetico pro genere humano contra Atheiſmi calumniam*; Pfannerum *in ſyſtemate theologiæ gentilis purioris*: Qui omnes agunt adverſus eos, qui exempla Aiheiſmi eſſe afferunt deſumta a *Thoibus* apud Porphirium L. III. *de abſtinentia ab animatis*. A *Naſamonibus* apud Dionyſium Perieget. ℣. 210. A *Callaſcis*, ſive *Luſitanis* apud Strabonem pag. 110. L. III. &c. de quibus Fabricius in Bibliographia p. 229. & ſeq. ubi eos redarguit, & mendacia hiſtoriis refellit. Nos adverſus Petrum Baelium, alioſque, qui cum ipſo faciunt, demonſtramus, univerſalem Atheiſmum nuſquam in ullo Populo, aut gente generatim fuiſſe Diſſ. XXVII. Cap. I. §. XII.

2.

Naturam hominis Deus hanc eſſe [a] voluit, ut duarum rerum cupidus, & appetens eſſet: religionis, & ſapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem ſuſcipiunt omiſſa ſapientia: aut ſapientiæ ſoli ſtudent, omiſſa religione: quum alterum ſine altero eſſe non poſſit [b].

Ca-

a *Deus hanc eſſe* &c. Al. *hanc Deus eſſe*.

b *Quum alterum ſine altero eſſe non poſſit*. *Initium Sapientiæ timor Domini*: ut habetur Eccl. 1. ℣. 16. Pſal. cx. ℣. 10. Proverb. 1. ℣. 7, Aliqui addunt *verum* quod redundare videtur.

3.

Cadunt ergo ad multiplices religiones, ſed ideo falſas, quia ſapientiam reliquerunt: quæ illos docere poterat, deos multos eſſe non poſſe: aut ſtudent ſapientiæ, ſed ideo falſæ, quia religionem ſummi Dei omiſerunt, quæ eos ad veri ſcientiam potuit erudire.

4.

Sic homines, qui alterutram ſuſcipiunt, vitam deviam [a], maximiſque erroribus plenam ſequuntur: quoniam in his duobus inſeparabiliter [b] connexis & officium hominis, & veritas omnis incluſa eſt.

---

a *Vitam deviam* Al. *viam deviam*. Noſtra lectio Ciceroni uſitata; & Lactantio frequens; ut L. IV., & VI. dicemus.

b *Inſeparabiliter*: Vox Walchio non adeo frequens; Macrobio in Som. Scip. uſitata, & in ſuo L.L. Theſ. ab Henr. Steph. adoptata.

5.

Miror itaque nullum omnino philoſophorum extitiſſe, qui ſedem, atque domicilium ſummi boni reperiret.

6.

Potuerunt enim ſic quærere: Quodcumque eſt ſummum bonum, neceſſe eſt omnibus eſſe propoſitum. Voluptas eſt, quæ appetitur a cunctis: ſed hæc & communis eſt

cum

cum belluis: & honeſti vim non habet: & ſatietatem affert: & nimia nocet: & proceſſu minuitur ætatis: & multis non contingit; nam qui opibus carent, quorum major eſt numerus, etiam voluptate careant neceſſe eſt. Non eſt igitur ſummum bonum, ſed ne bonum quidem voluptas.

7.

Quid divitiæ? Multo magis. Nam & paucioribus, & plerumque caſu, & inertibus ſæpe, & nonnumquam ſcelere contingunt, & optantur ab iis, qui eas jam tenent [a].

---

a *Et optantur ab his, qui eas jam tenent*. Sic omnes recentiores cum Iſæo, quamvis in noſtro Bon. Cod., & apud Aldum ac in aliis legatur *& non optantur* &c. Sed vis argumenti in noſtra lectione ſita eſt, ut bene vidit Iſæus. Exemplum eſſe poterit ſcioli amanuenſis librarii, qui, quum ignoraverit, divitias expeti etiam ab iis, qui iiſdem non carent, argumenti vi poſthabita, ſententiam corrupit.

8.

Quid regnum ipſum? Ne id quidem. Non enim cuncti homines regnare poſſunt: & neceſſe eſt univerſos ſummi boni capaces eſſe.

9.

Quæramus igitur aliquid, quod propoſitum ſit omnibus. Num virtus? Negari non poteſt, quin & bonum ſit, & omnium cer-

te bonum: Sed ſi beata eſſe non poteſt [a], quia vis, & natura ejus in perferentia malorum [b] poſita eſt: non eſt profecto ſummum bonum.

a *Sed ſi beata eſſe non poteſt*. Al. *Tò ſi* non habent. Sed male, nam nec oratio tunc cohæret, nec ſenſus integer eſt; heic quidem Lactantius de virtute loquitur, quæ hujus vitæ virtus eſt, in tollerantia ut plurimum ſita, non autem de virtute in Patria ubi in quiete ſempiterna verſabitur.

b *Perferentia malorum*; *Tollerantia* magis Latinum eſt; at Lactantius aliquando uſurpat *Perlatio* ut L. v. c. xxii. aliquando *Suſtinentia*, ut Epit. c. 34. ad tollerantiam in adverſis explicandam. Al. *præferentiam*. Al. *ſufferentiam* habent. Hanc vocem in Lexicis non reperiri, dixit heic Bunem; ſed falſo; nam in Teſ. L. L. Henr. Steph. edition. Baſileen. anno MDCCXLI. ex hoc Lactantii loco appoſita eſt.

10.

Quæramus aliud. At nihil virtute pulchrius, nihil ſapientia dignius [a] inveniri poteſt. Si enim vitia ob turpitudinem fugienda ſunt: virtus igitur appetenda eſt ob decorem: quid ergo? poteſt ne fieri, ut quod bonum, quod honeſtum eſſe conſtat, mercede, ac premio careat, ſitque tam ſterile, ut nihil ex ſe commodi pariat?

a *Nihil ſapientia dignius*. Bon. *ſapiente*; ſed male; præceſſit enim *nihil virtute pulchrius*.

11.

Labor ille magnus, & difficultas, & elucta-

ctatio [a] adverſus mala, quibus hæc vita plena eſt, aliquid magni boni pariat, neceſſe eſt. Id vero quid eſſe dicemus? num voluptates? at nihil turpe ex honeſto naſci poteſt.

a *Et eluctatio*. Al. *Tò & non* habent, eaque particula caret Bon. Codex; ſed periodus eam ſibi jure vindicat. Al. *obluctatio*, quam lectionem probant Cellarius & Walchius. Bunem. vero mallet *reluctatio*. Nos cum Bon. plurimiſque aliis Codd. legimus *Eluctatio* ab *Eluctor aris*: Quod Latini ſæpe habent, pro eo quod eſt, luctando cum labore impedimenta ſuperare: Virgil. 11. Georg. ℣. 244..... *Aqua eluctabitur omnis* I. E. *tarde evacuabitur*, nec ſine difficultate.

12.

Num divitias? num poteſtates? At ea quidem fragilia ſunt, & caduca. Num gloriam [a]? num honorem? num memoriam nominis? At hæc omnia non ſunt in ipſa virtute, ſed in aliorum exiſtimatione, atque arbitrio poſita. Nam ſæpe virtus & inviſa eſt, & malo afficitur [b].

a *Num gloriam? Num honorem? num memoriam nominis?* Bon. habet ſolummodo, *Num gloriam nominis?* Ubi alii omnes defectum indicant amanuenſis Librarii.

b *Et inviſa eſt, & malo afficitur*. Bon. *Quæ eſt inviſa eſt, & malo adficitur*.

13.

Debet autem id bonum, quod ex ea naſci-

ſcitur [a], ita cohærere, ut divelli, atque abſtrahi nequeat [b], nec aliter ſummum bonum videri poteſt, quam ſi & proprium [c] ſit virtutis, & tale, ut neque adjici quicquam, nec detrahi poſſit.

a *Quod ex ea naſcitur*. Al. *ex eo* ſed male; nam de bono loquitur Lactantius, quod oritur ex ipſa virtute.

b *Atque abſtrahi nequeat*. Al. *diſtrahi*. Aldus nobiſcum legit.

c *Quam ſi & proprium* &c. Aldus quoque copulam reſtituit, quam Alii abraſerant.

14.

Quid? quod in his omnibus contemnendis virtutis officia conſiſtunt? Nam voluptates, opes, potentias, honores, eaque omnia [a], quæ pro bonis habentur, non cupere [b], non appetere, non amare, quod cæteri faciunt victi cupiditate, id eſt profecto virtus [c].

a *Eaque omnia*. Al. *atque omnia*.

b *Non cupere*. Al. *non concupiſcere*. Male, nam ſequitur: *non appetere* quod idem valet; Plin. L.III. Ep II. *Quamvis enim iſta non appetat, tam grate tamen excipit, quam ſi concupiſcat*.

c *Id eſt profecto virtus*. Al *id eſt profecto virtutis* fortaſſe melius.

15.

Aliud ergo ſublimius, atque præclarius efficit: nec fruſtra his præſentibus bonis relu-

luctatur, niſi quod majora & veriora [a] deſiderat, non deſperemus inveniri poſſe, modo verſet ſe cogitatio in omnia [b] ...

Neque enim levia, aut ludicra petuntur
Præmia ....

a *Et veriora*. Al. *& uberiora*.

b *In omnia*. Al. addunt *præmia* ſed male. Hoc enim verbum eſt initium ſecundi carminis Virgiliani, heic a Lactantio accomodati ex Æn. L. XII. ℣. 164.

CAP. XII.

I.

SEd quæramus [a] quid ſit, propter quod naſcimur; quid efficiat virtus, poſſumus ſic invenire [b]. Duo ſunt, ex quibus homo conſtat: animus, & corpus [c]. Multa ſunt pro-

a *Sed quæramus*. Al. *ſed quærimus* Al. ſed *quæritur*. Al. Tò *ſed* omiſſo legunt: *Quæritur quid ſit propter quod naſcimur? Quid efficiat virtus?* &c. Aldus nobiſcum legit.

b *Sic invenire* Al. *ſic inveſtigare*.

c *Duo ſunt ex quibus homo conſtat: Animus, & Corpus*. Vide heic Lactantii ſententiam de homine ex duabus partibus compoſito, nec in ſola anima eum conſtituentem, ut aliqui putarunt, illum alicubi non bene intelligentes. Platonem tres partes hominis enumeraſſe in Sympoſio, nempe *Corpus*, *animam*. & *ſpiritum*, Marſilius Ficinus *Orat.* VI. *ibidem* exponit cap. VI. hiſce verbis: *Tria profecto in nobis eſſe viden-*

propria animi, multa propria corporis *d*, multa utrique communia, ſicut eſt ipſa virtus *e*: quæ quoties *f* ad corpus refertur, diſcernendi gratia, fortitudo nominatur.

---

dentur: *Anima*, *ſpiritus*, *atque corpus* &c. quam ſententiam Betulejus heic refert tamquam S. Pauli Apoſtoli, additque: *Poteſt videri*, *Lactantium idem credidiſſe animum*, *quod in ſacris literis tertia pars eſt ſpiritus*: *nempe apud quem ſpiritus nomen rariſſimum eſt* &c. Loca autem S. Scripturæ, ad quæ provocant ii, qui hanc ſententiam tenent, leguntur apud Campegium Vitringam *obſer ſacr.* L. III. c. IV., & ſunt 1. ad Theſſ. c. V. ℣. 23. Matth. XXII. 37. 1. ad Corinth. c. II. ℣. 14. 15. cap. XIV. ℣. 14. ad Ebræos c. IV. ℣. 12. Sed quam longe a veritate diſtent jam demonſtravimus diſſ. XXV. cap. VII. §. IV.

d *Multa ſunt propria animi*, *multa ſunt propria corporis*. Al. utroque loco legunt *proprie*. Al. apud Schottum ſecundo loco neutrum habent.

e *Sicut eſt ipſa virtus*. Quæ eſt Animo, corporique cummunis. Animum adverte ad ea, quæ Lactantius habet L. I. c. XVIII. ſeg. 3. *Virtutum eſſe dicunt*. *quæ hominem tollat in Cœlum*; *non illam*, *de qua Philoſophi diſſerunt*, *quæ poſita eſt in bonis*; *ſed hanc corporalem*, *quæ dicitur fortitudo* &c. ut quæ ſequuntur intelligas.

f *Quæ quoties*. Bon. *quotiens*: & ſic ſemper.

2.

Quoniam igitur utrique ſubjacet fortitudo, utrique propoſita dimicatio eſt, & utrique ex dimicatione victoria: corpus, q ia ſolidum eſt, cum ſolidis, & comprehenſibilibus con-

confligat neceſſe eſt : animus autem, quia tenuis, & inviſibilis eſt, cum iis congreditur hoſtibus, qui videri, tangique non poſſunt.

3.

Qui ſunt autem hoſtes animi, niſi cupiditates, vitia, peccata? quæ ſi vicerit virtus, ac fugaverit, immaculatus erit animus, ac purus.

4.

Unde igitur [a] colligi poteſt, quid efficiat animi fortitudo? Nimirum ex conjuncto, & pari, hoc eſt, ex corporis fortitudine : quod quum in aliquam congreſſionem, certamenque venerit, quid aliud ex victoria, quam vitam petit? ſive enim cum homine, ſive cum beſtia dimices, pro ſalute certatur.

---

a *Unde igitur*. Al. *Unde ergo*.

5.

Ergo ut corpus vincendo id aſſequitur, ut non intereat : ſic & animus [a], ut permaneat: & ſicut corpus ab hoſtibus ſuis victum, morte multatur, ita ſuperatus a vitiis animus, moriatur neceſſe eſt [b].

---

a *Sic & animus*. Al. *ſic etiam*.

b *Ita ſuperatus a vitiis animus moriatur neceſſe eſt*. Id eſt : morte peccati, qua anima gratia ſanctificante privatur, per quam jus ad vitam æternam receperat.

6.

Quid ergo intereſt [a] inter animi, corporiſque dimicationem, niſi quod corpus temporalem vitam expetit, animus ſempiternam?

a *Quid ergo intereſt* Al. *intererit*. Aldus noſtram retinet lectionem.

7.

Si ergo virtus per ſeipſam beata non eſt, in perferendis (ut dixit [a]) malis, tota vis ejus eſt: ſi omnia, quæ pro bonis concupiſcuntur, negligit: ſi ſummus ejus gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam, quæ optatur a cæteris, ſæpe reſpuit, mortemque, quam cæteri timent, fortiter ſuſcipit: ſi neceſſe eſt, ut [b] aliquid ex ſe magni boni pariat, quia ſuſcepti, & ſuperati [c] uſque ad mortem labores, ſine præmio [d] eſſe non poſſunt.

a *In perferendis (ut dixi)* ſcit. capite XI. ſeg. 9.
b *Si neceſſe eſt, ut*. Al. Tò *ut* non habent.
c *Quia ſuſcepti, & ſuperati*. Al. *quia ſuſtentati, & ſuperati*.
d *Sine præmio*. Elegantius quam *abſque præmio*, ut quidam Al. perperam legunt.

8.

Si nullum præmium, quod ea dignum ſit, reperitur in terra [a], quandoquidem cuncta, quæ

a *Reperitur in terra* Hactenus legebatur *in terra reperitur*. Bon. *repperitur*: more antiquo, & bono.

quæ fragilia ſunt, & caduca, ſpernit: quid reſtat [b], niſi ut cæleſte aliquid efficiat, quia terrena univerſa contemnit, & ad altiora nitatur, quia humiliora deſpicit [c]? id vero nihil poteſt eſſe aliud [d], quam immortalitas.

b *Quid reſtat*. Al. *Quid aliud reſtat*.
c *Quia humiliora deſpicit?* Al. humilia.
d *Nihil poteſt eſſe aliud*. Al. nihil aliud &c.

9.

Merito ergo philoſophorum non obſcurus Euclides [a], qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ [b], diſſentiens a cæteris, id eſſe

a *Euclides*. Non ille Geometrarum Princeps; ſed alius illo antiquior, patria Megarenſis, quamvis non deſint, qui ex Cela Siciliæ Urbe originem ejus repetant. Hic Socratem Præceptorem habuit, & ne deprehenderetur præcepti violator, quo vetitum erat pæna capitali, Athenas Megarenſibus ingredi, ſub noctem, velamine muliebri tectus ad Socratem audiendum ſe conferre, conſuevit. Vide Gell. L. VI. c. X. Mortuo Socrate, Platonem cum cæteris Philoſophis, quos Tyrranorum metus exulare coegerat, hoſpitio humaniſſime in Patria recepit. De eo Laert. L. II. ſegm. 106. Valer. Max. hunc cum priore confundit L. VIII. cap.23.

b *Magaricorum Diſciplinæ*. Quamquam a Socrate reprehenſus, quia litigioſis diſputationibus apprime addictus erat Euclides, tamen eo defuncto, ſectam inſtituit, quæ etſi aliquando Megarica ab ejus natali ſolo dicta eſt, nihilominus *Eriſtica* ab indole litigioſa fuit deinceps appellata. Vide Gellium, & Laertium ubi ſupra, & Stanlejum Part. III. c. 4.

eſſe dixit ſummum bonum, quod ſimile ſit, & idem ſemper c.

c *Quod ſimile ſit, & idem ſemper.* Betulejus Lactantii heic integram lectionem non eſſe ait; Nam ad deſcriptionem ſummi boni pertinebat etiam, ut unum eſſet, ſecundum Euclidis ſententiam, de qua Cicero L. IV. *Acad. quæſt.*, Laertius ubi ſupra, & Stanlejus. Sed ad Lactantii inſtitutum hæc omiſſio nihil refert, quum non omnino ſibi conſtans fuerit in hoc afferendo Euclides, qui quamvis docuiſſet bonum eſſe unicum, id tamen multiplicabat. Bonum quippe illi erat *Deus*, *Prudentia*, *Mens* &c. quæ profecto non ſolo nomine diſtinguntur.

10.

Intellexit profecto, quæ ſit natura ſummi boni, licet id non explicaverit quid ſit: id eſt autem immortalitas, nec aliud omnino quicquam: quia ſola nec imminui, nec augeri, nec mutari a poteſt.

a *Nec mutari* Al. *immutari*.

11.

Seneca quoque imprudens incidit, ut fateretur, nullum eſſe aliud virtutis præmium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte b conſcripſit, *Una*, inquit, *res eſt vir-*

b *De immatura morte*. Al. *de matura morte*. Sed ſub neutro ex hiſce titulis aliquis Senecæ liber extat, quamvis ſæpiſſime hanc doctrinam tradat in libris ſuis, & potiſſimum in Epiſtolis, inter quas Betulejus indicat LXXXVI. L. XII.

virtus, quæ nos immortalitate donare poſſit, & pares Diis facere.

12.

Sed & Stoici, quos ſecutus eſt a, negant ſine virtute effici poſſe beatum quemquam b. Ergo virtutis præmium beata vita eſt, ſi virtus [ut recte dictum eſt] beatam vitam facit.

a *Sed & Stoici, quos ſecutus eſt.* Vide Ciceron. L. v. *Quæſt Tuſc.*
b *Effici poſſe beatum quemquam.* Al. *effici quemquam b. p.*

13.

Non eſt igitur (ut ajunt) propter ſeipſam virtus expetenda, ſed propter vitam beatam, quæ virtutem neceſſario ſequitur.

14.

Quod argumentum docere eos potuit, quid eſſet ſummum bonum. Hæc autem vita præſens, & corporalis, beata eſſe non poteſt, quia malis eſt ſubjecta per corpus.

15.

Epicurus Deum beatum vocat, quia incorruptus, & quia ſempiternus eſt a. Beatitudo enim perfecta eſſe debet, ut nihil ſit, quod eam vexare, ac imminuere, aut immutare poſſit.

a *Quia ſempiternus eſt.* Sic etiam Aldus. Al. *beatum vocat, quia incorruptum vocat.* Al. *quia incorru-*

ruptus, & ſemper eſt. Apud Laert. in Epiſt. ad Menœceum Epicurus ait: *Deum eſſe animal immortale, ac beatum; puta, ſicut communis de Deo dictat intelligentia. Nihil illi aut ab immortalitate alienum, aut a beatitudine, applicans. Cæterum omne quod illius cum immortalitate beatitudinem ſervare poſſit, de eo opinare.*

16.

Nec aliter quicquam exiſtimari beatum poteſt, niſi fuerit incorruptum. Incorruptum [a] autem nihil eſt, niſi quod eſt immortale. Sola ergo immortalitas beata eſt, quia corrumpi, ac diſſolvi non poteſt.

a *Niſi fuerit incorruptum. Incorruptum* &c. Bon. ſemel tantum habet *incorruptum*.

17.

Quod ſi cadit in hominem virtus, quod negare nullus poteſt, cadit & beatitudo. Non poteſt enim [a] fieri, ut ſit miſer, qui virtute eſt præditus. Si cadit beatitudo, ergo & immortalitas cadit in hominem, quia beata eſt.

a *Non poteſt enim fieri ut ſit miſer, qui virtute eſt præditus*. Vide Senec. de Provid. cap. III. Cicer in Paradox. II. prope finem. Minuc. Felic. c. XXXIII. Salvian. de Guber. D. L. 1. &c.

18.

Summum igitur bonum ſola immortalitas in-

invenitur, quia nec aliud animal [a], nec corpus attingit [b], nec poteſt cuiquam ſine ſcientiæ virtute [c], id eſt, ſine Dei cognitione, ac juſtitia provenire [d].

---

a *Quia nec aliud animal*. Al. *quæ* pro *quia*. Spark. heic notat: Quod Lactantius cum Platonicis facere videatur, qui corpus, tamquam animæ ergaſtulum, habuerunt; quippe qui in ejuſdem felicitatis conſortium corpus non admittebant. Quæ ſententia pugnat contra fidei noſtræ articulum, quo carnis reſurrectionem Scripturæ docent, & Patres; At Lactantius heic loquitur contra eos Philoſophos, qui Beatitudinem hominum in hac mortali vita quærebant. Vide infra ſeg. 32.

b *Attingit*. Al. *attigit*. Quod Spark. nota ſuperiori dixiſſe vidimus, a Betuleio deſumpſit, qui ad initium hujus capituli Lactantium poſtulat erroris illius, quem Hierax Ægyptius docuit; ſed infra quantum a veritate aberret, oſtendemus.

c *Sine ſcientiæ virtute*. Schottus *ſine ſcientia, ac virtute*. Male; nam heic Lactantius eſplicat virtutem ſcientiæ eſſe Dei cognitionem, ac juſtitiam. Vide ad cap. IX.

d *Provenire*. Al. *pervenire*. Al. *obvenire*. Aldus nobiſcum legit.

19.

Cujus appetitio quam vera, quam recta ſit, ipſa vitæ hujuſce cupiditas indicat: quæ licet ſit temporalis, & labore pleniſſima, expetitur tamen ab omnibus, & optatur: hanc enim tam ſenes quam pueri, tam reges

ges

ges, quam infimi, tam denique ſapientes quam ſtulti cupiunt [a].

a *Cupiunt*. Bon. *capiunt*.

20.

Tanti eſt (ut Anaxagoræ viſum eſt [a]) contemplatio cæli, ac lucis ipſius, ut quaſcumque miſerias libeat ſuſtinere.

a *Ut Anaxagoræ viſum eſt*. Ad cap. IX. hujuſce libri merito Lactantius Anaxagoram irriſit, dicentem, ſe natum eſſe Cæli, ac ſolis vjdendi cauſſa; Heic autem mollitam propoſitionem erigit epithonemate.

21.

Quum igitur laborioſa hæc, & brevis vita, non tantum hominum, ſed etiam cæterorum [a] animantium conſenſu magnum bonum eſſe ducatur: manifeſtum eſt, eandem ſummum, ac perfectum fieri bonum, ſi & fine careat, & omni malo.

a *Cæterarum* Al. *ceterorum*: utroque modo ſatis bene.

22.

Denique nemo unquam extitit [a], qui hanc ipſam brevem contemneret, aut ſubiret mortem; niſi ſpe vitæ longioris. Nam illi, qui pro ſalute [b] civium voluntariæ ſe neci

a *Extitit* Al. *extitiſſet*.
b *Pro ſalute*. Al. *per ſalutem* Al. *propter ſalutem*. Aldus: *pro ſalute*.

neci obtulerunt, ſicut Thebis Menœceus c, Athenis Codrus d, Romæ Curtius e, & Mures

c *Thebis Menœceus*: Polynici, Regni parte a fratre ſuo Eteocle privato, Socer Adraſtus in auxilium venit, ut armorum vi ad eam reſtituendam compelleret occupantem. Tireſia interea vaticinante, victores fore Thebanos, bellum contra Achivos gerentes, ſi a Menoeceo Marti ſacrificium fieret. Hic vaticinio audito, & patris ſui ſuadentis exilium, repudians monitum, ſponte in muro ſe traſfixit, & verſus hoſtem ſe præcipitem dedit. Hac hiſtoria pro argumento in Tragœdia Phœniſſarum uſus eſt Euripides, Eam deſcribit Statius L. x. Thebaidos. Plutarc. in Pelopida. Juvenal. Satyr. xii. Cicero L. i. *quæſt. Tuſcul. Menœceus vero non prætermittitur: qui oraculo edito largitus eſt Patriæ ſuum ſanguinem*.

d *Athenis Codrus*. Is fuit ultimus Athenienſium Rex, qui Lacedemoniis gravi bello Atticos prementibus, audito Pythii Apollinis oraculo: *Quorum Dux ab hoſte eſſet occiſus, eos futuros eſſe in ea pugna victores*: paſtorali cultu indutus in hoſtium caſtris ultro vim inferens quibuſcumque obviis progrediens, mortem pro ſuis, quam optaverat, & victoriam illis obtinuit. Vellejus Paterc. L. i. c. II. Voler. Max. L. v. c. vi. Juſt. L. II. c. vi. Tzetzen Chil. i. hiſt. iv. Cicer. in Tuſc. L. i. &c,

e *Romæ Curtius*. Livius L. viii. c. vi. hiſtoriam narrans, ab eo Lacum Curtium, non autem ab antiquo illo T. Tatii milite Curtio Metio, de quo L. i. c. xii. dixerat, *inſignius nomen habuiſſe*, dixit. Uterque tamen idem facinus operatus eſt. Hic ad Deos manes pro patria ſe devovit in ſpecum immenſæ altitudinis in medio foro hiantem; ille vero in paludem

res duo *f*, nunquam mortem vitæ commodis prætuliſſent, niſi ſe immortalitatem de opinione civium *g* conſequi putaviſſent: qui tametſi *h* neſcierunt immortalitatis viam, res tamen eos non fefellit.

---

dem ſeſe, ſtrepitu ſequentium, trepidante equo, conjecit. Utriuſque lapideam imaginem in Capitolio ſæpe vidimus, & vix riſum continere potuimus, Antiquario de utroque nobis eandem fabulam narrante. De pariete externo Burgheſiæ domus, quæ in Pinciis eſt, excellens ex marmore hujus viri pendet ſimulacrum.

f *Et Mures duo*. Bon. *Mucrios* Al. *Decii Duo* Al. *& Mures duo Decii*. Librarius amanuenſis, hiſtoriam neſciens *Mucrius* poſuit pro *Mures* in Cod. Bon., At alii ex librorum margine, *Decii*, *aut Decios Murios* in textum intulerunt; nam uterque *Decius Mus* vocabatur, pater nimirum, qui contra Latinos agens, diis manibus ſe pro exercitu offerens, telis hoſtium obrutus occubuit ex Liv. L. VIII. c. IX. Filius autem contra Gallos, Patris nomen compellans, & exemplum imitatus, in confertiſſimam hoſtium aciem concitatum equum inferens, illorum jaculis interfectus eſt, ex Liv. lib. X. c. XXVIII. *Datum* inquiens *hoc noſtro generi eſt, ut luendis periculis publicis piacula ſimus; jam ego mecum legiones hoſtium mactandas Telluri, ac diis manibus dabo*.

g *De opinione Civium*: Al. primam vocem omittunt, quæ elegantiorem reddit ſententiam.

h *Qui tametſi*. Al. *tamen & ſi*; ſed male, nam ſequitur aliud *tamen* quamvis acceptione diverſa.

23.

Si enim virtus, divitias, & opes ideo con-

contemnit [a], quia fragiles ſunt: voluptates ideo, quia breves: ergo & vitam fragilem, brevemque ideo contemnit, ut ſolidam, & perpetuam conſequatur.

a *Contemnit* Bon. *contempnit*.

24.

Ipſa igitur [a] cogitatio per ordinem gradiens, & univerſa conſiderans, perducit nos ad eximium illud, & ſingulare, cujus cauſſa naſcimur, bonum.

a *Ipſa igitur*. Al. *Ipſa ergo*.

25.

Quod ſi feciſſent philoſophi, ſi non, quod ſemel [a] apprehenderant, tueri pertinaciter maluiſſent: profecto perveniſſent ad verum hoc, quod oſtendi modo [b], quod ſi non fuit eorum, qui cæleſtes animas una cum corporibus extinguunt: illi tamen, qui de immortalitate animæ diſputant [c], intelligere debuerunt, ideo propoſitam nobis eſſe virtutem, ut perdomitis libidinibus, rerumque terreſtrium cupiditate ſuperata, pu-

a *Si non quod ſemel* Bon. pro *ſemel* habet *ſenes*:

b *Ad verum hoc, quod oſtendi modo*. Al. *ad ſummum bonum, quod oſtendi modo*. Manifeſtum gloſſema, quod in ora Codicum Mss. vidimus.

c *Qui de immortalitate animæ diſputant*. Al. *qui de imm. animi*. Al. *qui de imm. diſpotant animi*.

ræ, ac victrices animæ *d* ad Deum, id eſt, ad originem ſuam revertantur.

d *Puræ, ac victrices animæ*, Non ſolum ad mentem Platonis de virtutum gradibus, quibus purgatur anima rationalis, ſecundum id, quod habet Macrobius L. I. c. VII. in Somn. Scipionis, heic loquitur Lactantius, ſed ex Apoſtoli doctrina Epiſt. ad Timoth. c. II. v. 5. Non enim coronabitur homo, niſi legitime in hac vita certaverit, quamvis regeneratus, & fidei lumine perfuſus: *a diebus autem Johannis Baptiſtæ uſque nunc Regnum Cælorum vim patitur; & violenti rapiunt illud*: Chriſtus Dominus ait Matth. XI. ℣. 12. Quod nondum intelligere volunt Remonſtrantes,

26.

Iccirco enim ſoli animantium ad aſpectum cæli erecti ſumus, ut ſummum bonum noſtrum in ſummo *a* eſſe credamus.

a *in ſummo*. Al. *in ſummo Deo*.

27.

Ideo religionem ſoli capimus, ut ex hoc ſciamus, humanum ſpiritum non eſſe mortalem, quod Deum, qui eſt immortalis, & deſiderat, & agnoſcit,

28.

Igitur ex omnibus philoſophis, qui aut ſcientiam pro ſummo *a* bono, aut virtutem ſunt amplexi, tenuerunt quidem viam veritatis, ſed non pervenerunt ad ſummum. Hæc

a *Scientiam pro ſummo* Al. hæc verba poſtponunt.

29.

Hæc enim duo ſunt, quæ ſimul efficiant illud, quod quæritur. Scientia id præſtat, ut qnomodo, & quo perveniendum ſit, noverimus: virtus, ut perveniamus. Alterum ſine altero nihil valet: ex ſcientia enim virtus *a*, ex virtute ſummum bonum naſcitur.

a *Ex ſcientia enim virtus* Walchius ex Ariſt. L.II. Ethic. c. III. heic notat: Ad virtutes vere comparandas, ſcientiam parum, aut nihil valere. Quidem verum utcumque eſt, ſi de inani, & vana Philoſophorum ſcientia, quæ hominem, teſte Apoſtolo, inflat, ſermo ſit; Non autem ſi de ea ſcientia religionis veræ loquamur, de qua heic agit Lactantius. Certum quippe eſt, ut habetur Proverb. XIX. ℣. 2. quod *Vbi non eſt ſcientia Animæ, non eſt bonum*.

30.

Beata igitur vita, quam philoſophi quæſiverunt ſemper, & quærunt, ſive in cultu Deorum, ſive in philoſophia, nulla eſt, & ideo ab his non potuit reperiri, quia ſummum bonum non in ſummo quæſiverunt, ſed in imo.

31.

Summum autem quid eſt, niſi cælum, & Deus, unde animus oritur? Imum quid eſt, niſi terra, unde corpus eſt?

32.

Itaque lic et quidam philoſophi ſummum

 bo-

bonum non corpori, ſed animo dederint, tamen, quoniam ad illud hanc vitam retulerunt [a], quæ cum corpore terminatur, ad corpus revoluti ſunt: cujus eſt omne hoc tempus, quod tranſigitur in terra.

a *Quoniam illud ad hanc vitam retulerunt*. Sic etiam Aldus Al. *ad illud hanc vitam retulerunt*. Al. *ad illum in hanc vitam* &c. En quare Lactantius de Animæ immortalitate diſſerens, de corporis reſurrectione mentionem non fecit. De ea tamen numquam dubitavit, ut viſuri ſumus infra L. VII. a c. XX. & luculenter diſſ. XXXIII. cap. III. §. 11. ſeq.

33.

Quare non immerito ſummum bonum non comprehenderunt, quia quicquid ad corpus ſpectat, & immortalitatis eſt expers, imum ſit, neceſſe eſt [a].

a *Quidquid ad corpus ſpectat, & immortalitatis eſt expers, imum ſit neceſſe eſt*. Al. pro *ſpectat* habent *expectant* pro *imum* habent *vanum*.

34.

Non cadit ergo in hominem beatitudo illo modo, quo philoſophi putaverunt: ſed ita cadit, non ut tunc beatus ſit, quum vivit in corpore, quod utique, ut diſſolvatur, neceſſe eſt corrumpi: ſed tunc quum anima ſocietate corporis liberata, in ſolo ſpiritu vivit [a]. Hæc

a *Anima ſocietate corporis liberata in ſolo ſpiritu*

tu vivit. An Anima a corpore ſeparata perfectam ante carnis reſurrectionem adipiſcatur beatitudinem, diſſeruimus Diſſ. xxv. cap. ix. §. xii. Quum autem Georgius Walchius heic Lactantio affingat, quod ſupra notavimus ex Betuleio; nimirum Authorem noſtrum ſtatuere tres partes hominis eſſe, *Corpus*, *animam*, & *ſpiritum* &c. Vide diſſ. n. xxv. c. vii. §. iv. Ut ibidem diximus, & ut optime iterum, iterumque eidem validis rationibus obviam ivit Bunemannus.

35.

Hoc uno beati eſſe in hac vita poſſumus, ſi minime beati eſſe videamur: ſi fugientes illecebras voluptatum, ſolique virtuti ſervientes, in omnibus laboribus, miſerique vivamus, quæ ſunt exercitia, & corroboramenta virtutis [a]: ſi denique aſperam illam viam, difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta eſt.

a *Corroboramenta virtutis*. Walchius novam hanc vocem appellat, & ſolius Lactantii authoritate innixa, & ex antiquioribus ignotam ait eſſe Bunem. Adeſt tamen in Henr. Steph. Theſ. L. L.

36.

Summum igitur bonum, quod beatum facit, non poteſt eſſe, niſi in ea religione, atque doctrina, cui ſpes immortalitatis adjuncta eſt.

C A P. XIII.

1.

Res exigere videtur hoc loco, ut quoniam docuimus immortalitatem eſſe ſummum bonum, eo ipſo [a] immortalem eſſe animam comprobemus.

a *Eo ipſo*. Ultra Bon. Cod. ſic habent alii plurimi, & legunt Heum. & Langlettius, *id ipſum* quod equidem probare nequeo. Sunt qui utraque carent dictione.

2.

Qua de re ingens inter philoſophos diſceptatio eſt: nec quicquam tamen explicare, aut probare potuerunt hi [a], qui verum de anima ſentiebant.

a *Potuerunt ii*, Al. *potuerant. ii, qui &c.*

3.

Expertes enim [a] hujus divinæ eruditionis [b], nec argumenta vera, quibus vincerent, attulerunt, nec teſtimonia, quibus probarent: ſed opportunius hanc quæſtionem tractabimus in ultimo libro [c], quum de vita beata nobis erit diſſerendum.

Su-

a *Expertes enim*. Al. Tò *enim* non habent, quam particulam Aldus quoque reſtituit.
b *Hujus divinæ eruditionis*. Al. *traditionis*, quam ectionem probat Bunem. ex L. VII. cap. 8. ſeg. 3.
c *Ultimo libro*. Scil VII. c. VIII. ſeg. 12. ſeq.

4.

Supereſt pars illa philoſophiæ tertia [a], quam vocant λογικὴν [b], in qua tota dialectica, & omnis loquendi ratio continetur.

---

a *Pars illa philoſophiæ tertia*. Al. *illa pars*. &c.
b *Quam vocant* λογικὴν. Al. *Loycen*; *ideſt rationalem*. Quod habetur communiter pro gloſſemate ex Cicer. de Fato c. 1. ubi ait: *logicæ, quam rationem diſſerendi voco.*

5.

Hanc divina eruditio non deſiderat: quia non in lingua, ſed in corde ſapientia eſt, nec intereſt, quali utare ſermone [a]: res enim, non verba quæruntur, & nos non de grammatico, aut oratore, quorum ſcientia eſt, quomodo loqui deceat, ſed de ſapiente diſſerimus, cujus doctrina eſt, quomodo vivere oporteat.

---

a *Quali utare ſermone*: Sic etiam Aldus. Al. *utatur* Bon. *ſermo*.

6.

Quod ſi neque phyſica illa ratio neceſſaria eſt, neque hæc logica, quia beatum facere non poſſunt: reſtat, ut in ſola Ethica totius philoſophiæ vis contineatur: ad quam ſe abjectis omnibus Socrates contuliſſe dicitur [a].

 In

---

a *Ad quam ſe, abjectis omnibus Socrates contuliſſe dicitur*:

citur: Vide Xenophontem L.v.*Memorab.Socratis*. Ariſtot. L. 1. c. 1. *de part. anim.* & Cicer. L. 7. *Tuſcul.* *Primus philoſophiam devocavit è Cælo, & in urbibus collocavit, & coegit de vita, & moribus, rebuſque bonis, & malis quærere.*

7.

In qua etiam parte quoniam philoſophos erraſſe docui, qui ſummum bonum, cujus capiendi gratia generati ſumus [a], non comprehenderunt: apparet falſam, & inanem eſſe omnem philoſophiam [b], quia nec inſtruit ad juſtitiæ munera, nec officium hominis, rationemque confirmat.

a *Generati ſumus*. Al. *ſunt*. Aldus etiam correctionem adoptavit.

b *Falſam eſſe, & inanem omnem philoſophiam*: Quæ nimirum ad altiorem rerum ſupernarum notitiam non ordinatur. Al. Tò *omnem* non habent.

8.

Sciant igitur errare ſe, qui philoſophiam putant eſſe ſapientiam: non trahantur authoritate cujuſquam, ſed veritati potius & faveant, & accedant [a]. Nullus hic temeritati locus eſt: in æternum ſtultitiæ pœna ſubeunda eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit.

Ho-

a *Et faveant, & accedant*. Al. *faveant, ac cedant*.

9.

Homo autem, qualiſcunque eſt, ſi ſibi credit [a], (ut non dicam [b] ſtultus, qui ſuum non videat errorem) certe arrogans eſt: qui ſibi audeat vindicare, quod humana conditio non recipit [c].

a *Si ſibi credit*. Al. ſtatim addunt, (*hoc eſt ſi homini credit*) quod mihi gloſſema viſum eſt, quum a noſtro Cod. aliiſque hæc verba abſint.

b *Ut non dicam*. Al. *ne dicam*. Noſtram lectionem vindicat Bunem ad lib. de Opif. Dei c. III. ſeg. 4.

c *Humana conditio non recipit*. Unde Vellejus Paterculus L. II. c. II. *tantis denique adornatur virtutibus, quantas perfecta & natura, & induſtria mortalis conditio recipit*. Hominis enim eſt ſuis viribus in ſtatu naturæ lapſæ relicti, ſaltem aliquando errare, ac deficere; tametſi auxilia ordinaria ei non deſint.

10.

Ille ipſe Romanæ linguæ ſummus author quantum fallatur, licet ex illa ſententia pervidere: qui quum in libris Officiorum [a] philoſophiam nihil aliud eſſe dixiſſet, quam *ſtudium ſapientiæ*, ipſam autem ſapientiam, *rerum divinarum, & humanarum ſcientiam* [b], tum adjecit: *cujus ſtudium qui vituperat, haud ſane intelligo quidnam ſit, quod laudandum putet*. Nam

a *In libris officiorum*. Vide in præfatione L. II. ubi lectio Lactantii ab ea, quam in Ciceronis operibus nunc habemus, aliquantulum differt.

b RERUM DIVINARUM, ET HUMANARUM SCIENTIAM. In Epitom. ad c. XXXIV. Plutar. *de Placitiſ. Philoſ.* L. I.

11.

Nam ſive oblectatio quæritur animi, requieſque curarum, quæ conferri cum eorum ſtudiis poteſt [a], *qui ſemper aliquid inquirunt* [b], *quod ſpectet, & valeat ad bene beateque vivendum* [c]: *Sive* [d] *ratio conſtantiæ, virtutiſque ducitur* [e]: *aut hæc ars eſt, aut nulla omnino, per quam eas aſſequamur; nullam dicere maximarum rerum artem eſſe, cum minimarum ſine arte nulla ſit, hominum eſt parum conſiderate loquentium, atque maximis in rebus errantium. Si autem eſt aliqua diſciplina virtutis, ubi ea quæretur, cum ab iſto diſcendi genere diſceſſeris?*

---

a QUÆ CONFERRI CUM EORUM STUDIIS POTEST. Al. *poſſunt*.

b ALIQUID INQUIRUNT. Al. *anquirunt*. Al. *acquirunt* de hac voce diſputant Crinitus *de bon. diſcipl. L.* I. c. XIV. Gruterus, Lambinus, Gulielmus, & Grævius ad Cicer. & ad Lælium c. XXIII.

c QUOD SPECTET, ET VALEAT AD BENE, BEATEQUE VIVENDUM. Al. quod *expectet valeat* &c.

d SIVE. Sic Al. Schottus cum Bon. *Si vero*.

e VIRTUTISQUE DUCITUR. Al. *virtutiſqe quæritur*.

12.

Equidem tametſi opera dederim, ut quantulamcunque dicendi aſſequerer facultatem propter ſtudium docendi, tamen eloquens

quens nunquam fui [a] : quippe qui forum ne attigerim quidem , ſed neceſſe eſt , ipſa me faciat cauſſæ bonitas eloquentem , ad quam diſerte , copioſeque defendendam , ſcientia divinitatis , & ipſa veritas ſufficit .

a *Eloquens numquam fui.* Betulejus heic differentiam notat eloquentem inter, & diſertum; de qua vide Quintil. in proœm. L. 1. *de Orator.* diſertus enim apte ad ſuadendum loquitur ; eloquens vero ornate , ac magnifice. Vide ad L. *de Opif. Dei* Cap. 1. ſeg. 2.

13.

Vellem igitur Ciceronem paulliſper ab inferis ſurgere , ut vir eloquentiſſimus ab homunculo non diſerto doceretur : Primum quidnam ſit , quod laudandum putet , qui vituperat id ſtudium , quod vocatur philoſophia . Deinde neque illam eſſe artem , qua virtus, & juſtitia diſcatur , nec aliam ullam , ſicut putavit . Poſtremo quoniam eſt virtutis diſciplina , ubi quærenda ſit , quum ab illo diſcendi genere diſceſſeris: quod ille non audiendi, diſcendique gratia quærebat. A quo enim poſſet audire, quum ſciret id nemo ?

14.

Sed , ut in cauſſis facere ſolebat , interrogatione voluit urgere , ad confeſſionemque perducere [a] , tanquam conſideret , reſpon-

a *Confeſſionemque perducere.* Al. *deducere.* Al. *abducere.*

ponderi prorſus nihil poſſe, quo minus philoſophia eſſet magiſtra virtutis, quod quidem in Tuſculanis diſputationibus aperte profeſſus eſt, ad eam ipſam converſa oratione, tanquam ſe declamatorio dicendi genere jactaret.

15.

O vitæ philoſophia dux, inquit, *ô virtutis indagatrix, expultrixque*[a] *vitiorum, quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine te eſſe potuiſſet? Tu inventrix legum, tu magiſtra morum, ac diſciplinæ fuiſti.*

a Expultrix Al. *exculirix* male.

16.

Quaſi vero aliquid per ſe ipſa ſentiret, ac non potius ille laudandus eſſet, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo, & potui, quod ſine his rebus[a] vita conſtare non poſſit, in quibus, ut ſenſus, ita beneficii nihil eſt. Atqui ut illa corporis alimenta ſunt, ſic animæ, ſapientia[b].

CAP.

a *Quod ſine his rebus* Al. *quia ſine* &c.
b *Sic animæ Sapientia*. Id eſt ſic animæ cibus, & alimentum ſapientia eſt.

CAP XIV.

1.

Rectius itaque Lucretius, quum eum laudat, qui ſapientiam primus invenit: ſed in eo inepte [a], quod ab homine inventam putavit. Quaſi vero illam alicubi jacentem homo ille, quem laudabat, invenerit, tanquam tibias ad fontem [b], ut poetæ ajunt,

a *Sed in eo inepte*: Sic etiam Aldus. Al. *ſed hoc*: Al. *in hoc*.

b *Tamquam tibias ad fontem*. Al. *tamquam tibi vas ad fontem*. Arguta ſatis; ſed inepta Iſæi correctio; heic enim Lactantius eam Poetarum fabulam in mente habuiſſe videtur, quam Ovidius L. VI. Faſt. a ℣. 702. & Hyginus fab. CLXV. narrant, de Tibiis nimirum, quas Minerva abjecerat, & Marſyas accepit, iiſque confiſus provocare auſit Apollinem; unde proverbium originem habuit, quod heic uſurpat Lactantius. Vide Munck. ad Hyg. pag. 235.

2.

Quod ſi repertorem ſapientiæ, ut Deum, laudavit: ita enim dicit:

Nemo (ut opinor) erit mortali corpore cretus.
Nam ſi, ut ipſa petit majeſtas cognita rerum,
Dicendum eſt: Deus ille fuit: Deus inclyte Memmi.

Ta-

3.

Tamen non erat *a* ſic laudandus Deus, quod ſapientiam invenerit, ſed quod hominem fecerit, qui poſſet capere ſapientiam. Minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto.

a *Tamen non erat ſic*: Al. *erit*: Omnino male. Bon. repetit particulam *ſic* ante ſapientiam quod annotavit etiam Aldus ex Cod. L.

4.

Sed ille ut hominem, laudavit: qui tamen ob id ipſum deberet pro Deo haberi, quod ſapere invenerit, nam ſic ait:

. . . . Nonne decebit,
Hunc hominem numero divum dignarier eſſe?

5.

Unde apparet, aut Pythagoram voluiſſe laudare, qui ſe primus (ut dixi *a*) philoſophum nominavit, aut Mileſium Thalem *b*, qui de rerum natura primus dicitur *c* diſputaſſe.

Ita

a (*Ut dixi*) ſcilicet L. III. c. II. ſeg. *6.*

b *Mileſium Thalem*. Bon. *Thalen.* Bunem. heic; *Erravit*: inquit, *Lactantius*; *Epicurum voluit laudare*; *Vide Tanaq. Fabrum ad Lucr. L.* v. ℣. 8. ſed pace eruditorum virorum dicam, eos, non Lactantium erraſſe: Noſter enim L. I. cap. v. ſeg. *16.* hanc eandem

dem opinionem retulit, fortaſſe ex Apulejo *Florid.* IV. aut ex Minucio Felice. qui Cap. XIX. ait, *ſic Thales Mileſius omnium primus, quia primus omnium de Cæleſtibus diſputavit*. Plinio enim teſte L II. c. XII. Primus (*Thales*) fuit, qui Solis, & Lunæ irveſtigavit dafectus. Vide Herald: ad Min. Fel., Menagium ad Laertii L. I. ſeg. 23. Male ergo Epicurus diceretur primus.

c *Dicitur*. Al. *traditur*.

6.

Ita dum hominem quærit [a] extollere, rem ipſam depreſſit [b]: non eſt enim magna, ſi ab homine potuit inveniri.

---

a *Ita dum hominem quærit*. Al. Tò *Ita* non habent, & legunt *ſed dum*. Aldus legit nobiſcum.

b *Rem ipſam depreſſit*. Bon. *depreſſiſti*.

7.

Verum poteſt, ut poetæ, dari venia. At ille idem perfectus orator idem ſummus philoſophus [a], & Græcos reprehendit [b], quorum levitatem ſemper accuſat, & tamen ſequitur, ipſam ſapientiam [c], quam alias donum [d],

---

a *Idem perfectus orator, idem ſummus philoſophus, &* Sic etiam Aldus. Al. *orator*, *ſummuſque*.

b *Et Græcos reprehendit*. Al. (*ne Græcos reprehendam*. Aldus legit nobiſcum.

c *Et tamen ſequitur ipſam ſapientiam*, *quam* ſic repoſui ubi Al. legunt: *Et tamen ſequitur*) *ipſam ſapientiam*. Nobiſcum etiam legit Fulvius Urſinus.

num [d], alias inventum Deorum vocat, poetice figuratam laudat in faciem [e].

d *Quam alias donum*. Bon. *Deum*. Aldus. *Deum*.
e *Laudat in faciem*. Scil. Cicer. L. IV. *Tuſcul. quæſt.* I. e. *coram in os laudare*. Hor. L. I. ſerm. V. ỷ. 62. Teren. *Adelph.* A. II. IV. 3. &c.

8.

Graviter etiam queritur extitiſſe aliquos, qui eam vituperarent. *Quiſquam ne*, inquit, *vituperare vitæ parentem & hoc parricidio ſe inquinare audeat, & tam impie ingratus eſſe?*

9.

Nos, ergo Marce Tulli parricidæ ſumus, & inſuendi, te judice, in culeum [a], qui philoſophiam negamus parentem eſſe vitæ?

a *Et inſuendi, te judice, in culeum*. In noſtro Bon. Cod. *culleum*. Ut in antiquis legibus ſcriptum video. Ciceroni heic Lactantius ad hominem reſpondit, parricidarum commemorans pœnam, qua hujus criminis rei tunica ex ſpartho, in modum amplæ crumenæ, pice, & bitumine illita, includebantur, ut ſic incluſi deinde in mare projicerentur; quod ſic narrat Valer. Max. L. I. cap. non primo, ut per errorem typographicum legitur in notis Gallæi, & ut Cæcorum ritu, eo tamen non laudato, exſcripſit Langletius cap. 14. *Tarquinius autem Rex M. Duumvirum, quod librum ſecreta Civilium Sacrorum continentem, cuſtodiæ ſuæ commiſſum, corruptus, Petronio Sabino deſcribendum dediſſet, culeo inſutum in ma-*

re

re abijci juſſit: idque ſupplicii genus non multo, poſt parricidis lege irrogatum eſt: juſtiſſime quidem: quia pari vindicta Parentum, ac Deorum violatio expianda eſt. Creſcente autem in dies Parricidarum numero, gravitas hujus ſupplicii aucta eſt. Nam primum virgis ſanguineis cædebatur reus; deinde culeo una cum noxio ſerpente includi cæpit, ut de C. Villio legitur apud Plutarc., & Livium. Ultra ſerpentem paullo poſt addiderunt etiam Simiam, ut Juven. ſatyr. XIII.

Vel deducendum corio Bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia Simia fatis.

Demum eodem culeo ſimul cum his inſuebant Canem, & Gallum Gallinaceum ut in Leg. Unic. *de his, qui Pat. aut* Lib. Occid. *Neque gladio, neque igni (ſubintellige Parricida) ſed inſutus culeo, cum cane, ſimia, vipera, & Gallo, inter ferales anguſtias comprehenſus ſerpentum contubernio miſceatur* &c. Quæ lex a Conſtantino M. lata eſt Sev. & C. Licinio Licinii F. Cæſare Coſſ. anno æræ com. CCCXIX. poſtquam hæc a Lactantio ſcripta fuerant,

10.

An tu, qui adverſus Deum tam impie ingratus es[a]? (Non hunc, cujus effigiem veneraris in Capitolio ſedentem: ſed illum, qui mundum fecit, hominemque generavit[b], qui ſapientiam quoque ipſam inter cæ-

L.III. H tera

a *Ingratus es? (Non hunc* &c. addidi punctum interrogationis, a quibuſdam omiſſum, & parentheſim appoſui, exempla Bonorum ſecutus.

b *Hominemque generavit*. Sic etiam Aldus Al. *figu-*

tera cæleſtia beneficia largitus eſt) Magiſtram tu virtutis, aut parentem vitæ vocas, ad quam ſi quis acceſſerit, multo ſit incertior neceſſe eſt, quam prius [c] fuerit.

figuravit. Sed contra fidem Mss. quod factum cenſet Thommaſius ex eo, quod primi Editores vim verbi non intelligentes, *figuravit* pro *generavit* poſuerunt. Cicero de leg. L. 1. c. IX. eodem ſenſu dixit. *Quoniam hominem generavit, & ornavit Deus*, Et idem Lactantius ſæpe *generare* uſurpat pro *creare*, aut *producere* &c. vide ad Cap. IV. Epit.

c *Quam prius*. Bon. *quam primum*. Male, nec ab ullo ſecutus.

11.

Cujus enim virtutis? Quæ ipſa, ubi ſita ſit [a], adhuc philoſophi non expediunt? cujus vitæ? quum ipſi doctores ante fuerint ſenectute, ac morte confecti, quam conſtituerint, quomodo vivi deceat: cujus veritatis indagatricem profiteri potes: qui ſæpe teſtaris, quum tanta multitudo fuerit philoſophorum, ſapientem tamen extitiſſe adhuc neminem?

a *Quæ ipſa, ubi ſita ſit*. Bon. *quæ ipſa ubi ſit, aut ſit*.

12.

Quid ergo te magiſtra illa vitæ docuit? An ut potentiſſimum Conſulem [a] maledictis in-

a *An ut potentiſſimum Conſulem*. Bon. *potiſſimum* Con-

inceſſeres ? eumque hoſtem patriæ venenatis orationibus faceres ? Sed omittamus illa, quæ poſſunt excuſari fortunæ nomine.

Conſulem. Is eſt M. Antonius, qui Conſul fuit cum C. Jul. Cæſare An. V. C. DCCX. & in quem Cicero Philippicas ſcripſit XIV. Ut ſupra dixi, non autem IX. ut heic repetit Gallæus, & ejus exſcriptor Langletius ex Betulejo.

13.

Studuiſti nempe philoſophiæ, & quidem ſic, ut nullus unquam diligentius: quippe qui omnes cognoveris diſciplinas, ſicut ipſe gloriari ſoles [a], eamque ipſam Latinis literis illuſtraveris [b], imitatoremque te Platonis oſtenderis.

a *Gloriari ſoles*. Cicer L. I. de Nat. Deor. Acad. quæſt. L. I. de Divin. L. II., & alibi ſæpe.

b *Eamque ipſam Latinis literis illuſtraveris*. Al. *eamque ipſe &c.* Al. *latius litteris* &c. ſed noſter reſpicit Ciceronis verba ad lib. I. quæſt. Acad., ubi ait: *Sum ingreſſus Philoſophiam ... latinis litteris illuſtrare*.

14.

Cedo igitur [a] quid didiceris, aut in qua ſecta veritatem deprehenderis? In Academia ſcilicet, quam ſecutus es, quam probaſti. At hæc nihil docet, niſi ut ſcias, te nihil ſcire.

a *Cedo igitur* &c. Id eſt *dic* aut *da*, aut *porrige*. Vide Parei Lex Critic. Walchius.

15.

Tui ergo te libri arguunt, quam nihil a philoſophia diſci poſſit ad vitam. Hæc tua verba ſunt: *Mihi autem* [a] *non modo ad ſapientiam cæci videmur, ſed ad ea ipſa, quæ aliqua ex parte cerni videantur* [b], *hebetes, & obtuſi*.

a Mihi autem &c. Hæc Ciceronis verba excidiſſe ex *Academicis quæſt.* putat Carolus Sigonius ad Fragmenta Ciceronis.

b *Videantur h., & obtuſi*. Bon. *videntur*. *obtunſi* & infra: *obtunſus*.

16.

Si ergo philoſophia vitæ magiſtra eſt [a], cur tibi ipſe [b] cæcus, & hebes, & obtuſus videbare, quem oportuit, illa docente [c], & ſentire, & ſapere, & in clariſſima luce verſari?

a *Vitæ magiſtra eſt*: Al. hæc legunt ordine inverſo.

b *Cur tibi ipſe* Iſæus & Alii Tò *ipſe* omiſerunt.

c *Illa docente*, Al. *illa docentem*; ſed male. Heic enim Lactantius Ciceronem ex verbis ſuis reprehendit dicendo: Si Philoſophia, ut tu dicis, vitæ Magiſtra eſt, cur tibi met ipſi cæcus videbare, quem, docente illa, & videre, & ſentire, ac in clariſſima luce verſari oportuit.

17.

At quam confeſſus fueris philoſophiæ veritatem [a],

tem[a], docent ad filium compoſita præcepta[b]: quibus mones, *philoſophiæ quidem præcepta noſcenda; vivendum autem eſſe civiliter*.

a *At quam confeſſus fueris philoſophiæ veritatem* Al. *Confiſus fueris Phil. veritate*. Aldus nobiſcum legit.

b *Ad filium compoſita præcepta*. Hæc in operibus Ciceronis deſiderantur; apparent autem inter Sigonii fragmenta.

18.

Quid tam repugnans dici poteſt? Si noſcenda ſunt præcepta philoſophiæ, ideo utique noſcenda ſunt, ut recte, ſapienterque vivamus. Vel, ſi civiliter vivendum eſt: non eſt igitur philoſophia ſapientia: ſiquidem eſt majus civiliter[a], quam philoſophice vivere.

a *Siquidem eſt majus civiliter &c.* Al. *Siquidem melius eſt &c.*

19.

Nam ſi ſapientia eſt, quæ dicitur philoſophia: ſtulte profecto vivet[a], qui non ſecundum philoſophiam vivit. Si autem non ſtulte vivit, qui civiliter vivit: ſequitur ut ſtulte vivat, qui philoſophice vivit. Tuo itaque judicio philoſophia ſtultitiæ, inanitatiſque[b] damnata eſt.

a *Profecto vivet*. Al. *vivit*. Bis heic hanc variantem in ſubſequentibus reperies in noſtro Cod., & apud Aldum.

b *Stultitiæ, inanitatiſque*. Al. *vanitatiſque*.

20.

Idem in conſolatione, id eſt in opere non joculari, hanc de philoſophia ſententiam tuliſti: *Sed neſcio quis nos teneat error* [a], *ac miſerabilis ignoratio veri*. Ubi eſt ergo philoſophiæ magiſterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, ſi verum miſerabiliter ignoras?

a Teneat error. Al. *tenet*.

21.

Quod ſi hæc erroris, ignorationiſque confeſſio, pene invito tibi ab intimo pectore [a] expreſſa eſt: cur non tibi verum aliquando fatebaris [b], philoſophiam, quam tu nihil docentem in cælum laudibus extuliſti, magiſtram virtutis eſſe non poſſe?

a *Tibi ab intimo pectore*. Bon. *tibi Antiquo Peccatore*. Inſigne profecto (oſcitantiæ ne, an temeritatis potius dicam neſcio) Librarii amanuenſis exemplum.

b *Cur non tibi verum aliquando fatebaris*. Al. *Cur non aliquando verum &c.* Aldus noſtram ſequitur lectionem.

C A P. X V.

1.

EOdem ductus errore Seneca (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?)

ne ?) *Philoſophia*, inquit [a], *nihil aliud eſt quam recta vivendi ratio*, *vel honeſte vivendi ſcientia*, *vel ars recte vitæ agendæ* [b]. *Non errabimus*, *ſi dixerimus*, *philoſophiam eſſe legem bene*, *honeſteque vivendi*. *Et qui dixit illam regulam vitæ*, *ſuum illi reddidit* [c].

a Philosophia *inquit*. Sententia, ut bene notant ex Betulejo recentiores, ſparſim legitur in Senecæ libris; at verba iſta, unde deprompta ſint, omnes neſcimus. Philoſophiam autem vitæ legem eſſe, docet Seneca Epiſt. xc. & xcv.

b Vel ars recte vitæ agendæ Al. *Vel ars vitæ agendæ*.

c *Suum illi reddidit.* Al. addunt *nomen*: ſed mea quidem ſententia male; nam heic non de nomine, ſed de natura ſermo eſt.

2.

Hic plane non reſpexit ad commune philoſophiæ nomen: quæ cum ſit in plures ſectas, diſciplinaſque diffuſa, nihilque habeat certi, nihil denique, de quo univerſi una mente, ac voce conſentiant: quid poteſt eſſe tam falſum, quam regulam vitæ, philoſophiam nominari [a], in qua diverſitas præceptorum rectum iter impediat, & turbet? aut legem bene vivendi, cujus capita longe diſſonant? aut ſcientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria ſæpe dicendo, quam ut nemo quicquam ſciat?

 Quæ-

a *Nominari*, Al. *vocari*. Aldus nobiſcum legit

3.

Quæro enim, utrumne Academiam [a] philoſophiam putet eſſe, an non? Negaturum non arbitror: quod ſi eſt, nihil ergo illorum cadit in philoſophiam: quæ ut omnia reddat incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem ſubvertit, regulam depravat, ſcientiam funditus tollit. Falſa igitur illa omnia: quia in rem ſemper incertam, & adhuc nihil explicantem cadere non poſſunt.

a *Utrumne Academiam.* Heic Betulejus, & Walchius putant Lactantium crediſiſſe, Senecam fuiſſe Academicum, quamvis ab eodem inter ſtoicos alibi idem Philoſophus recenſeatur; ſed non video quare Stoicum non potuerit ſic interrogari de Secta, ab ea aliena, cui ille nomen dederat? Cujus vero ſectæ fuerit Seneca, dicemus Diſſ. XL. c. XXII. §. XXXV.

4.

Nulla itaque ratio, vel ſcientia, vel lex bene vivendi, niſi in hac unica, & vera, & cæleſti ſapientia conſtituta eſt, quæ philoſophis fuit ignota.

5.

Nam illa terrena, quoniam falſa eſt, varia [a], & multiplex, ſibique tota contraria eſt: & ſicut unus eſt hujus mundi conſtitutor,

a *Quoniam falſa eſt, varia &c.* Al. *fallax eſt, ſic varia.*

tor, & rector Deus, una veritas: ita unam eſſe, ac ſimplicem ſapientiam, neceſſe eſt: quia quicquid eſt verum, ac bonum, id perfectum eſſe non poteſt, niſi fuerit ſingulare.

6.

Quod ſi philoſophia vitam poſſet inſtruere, nulli alii niſi philoſophi eſſent boni: & qui eam non didiciſſent, eſſent omnes ſemper mali.

7.

Vero quum innumerabiles exiſtant, & ſemper extiterint, qui ſint, aut fuerint ſine ulla doctrina boni [a]: ex philoſophis autem perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum. Quis eſt tandem, qui non videat, eos homines virtutis, qua ipſi egent, non eſſe doctores?

a *Sine ulla doctrina boni*. Al. *ſine doctrina boni*, Cicer. pro Archia. *Ego multos homines excellenti animo, ac virtute fuiſſe, & ſine doctrina & moderatos; & graves extitiſſe fateor*. Inter Ethnicos autem hi fuerunt pauciores; quam inter Chriſtianos, qui ſolis fidei myſteriis imbuti, omnium virtutum operibus Deo opitulante claruerunt; Nam virtutis laus in actione conſiſtit ut docet Cic. L. 1. offic.

8.

Nam ſi quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, protervos, & ſub obtentu ſapientiæ ſuæ vitia celantes, domi facien-

cientes ea, quæ in ſcholis arguiſſent. Fortaſſe mentior accuſandi gratia? nonne id ipſum Tullius & fatetur, & queritur?

9.

Quotus quiſque [a], inquit, *philoſophorum invenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, & vita conſtitutus, ut ratio poſtulat? qui diſciplinam ſuam, non oſtentationem ſuæ ſcientiæ; ſed legem vitæ putet? qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Videre autem licet alios tanta levitate, & jactatione, ut his fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſervos, ut cum eorum vita, mirabiliter pugnet oratio.*

a QUOTUS QUISQUE. Locus iſte paullo aliter legitur in Tuſculanis, ut bene monet Iſæus. Al. *quotus, inquit* &c.

10.

Nepos quoque Cornelius [a] ad eumdem Cice-

a *Nepos quoque Cornelius*. Sic etiam Aldus reſtituit. Al. *Nepoſque Cornelius*. Is tam ante, quam poſt Cæſaris dictaturam, immo ad annum Auguſti quartum, Hieronymo teſte, vixiſſe dicitur. In Hoſtilia, Veronenſi pago, eum natum eſſe, nonnulli ſcripſerunt, & quamvis Auſonius Epiſt. XXIV. Cornelium Gallum fuiſſe dicat, Becellus tamen explicat de Gallia togata intelligi debere. Plurima ſcripſit eleganti ſermone, quorum tamen pleraque perierunt,

ceronem ita ſcribit: *Tantum abeſt, ut ego magiſtram eſſe putem vitæ philoſophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe magiſtris vivendi, quam pleriſque qui in ea diſputanda verſantur. Video enim magna partem eorum, qui in ſchola de pudore, & continentia præcipiant argutiſſime, eoſdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.*

runt, inter quæ liber Epiſtolarum ad Ciceronem, cujus familiaris fuit, & ad alios, ut colligitur ex Svetonio, & Macrobio, qui eos ſæpenumero ladant. In eis fortaſſe ea legebantur, quæ heic memorantur a Lactantio. Vide, quæ de eo diximus L. I. c. xiii. ſeg. 7., & diſſ. xi. cap. xxii. ſ. xxiii.

11.

Item Seneca [a] in exhortationibus: *Plerique*, inquit, *philoſophorum tales ſunt diſerti in convicium ſuum* [b], *quos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, in indicium putes* [c] *profeſſos: adeo redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa, quos nos non aliter intueri decet, quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena.*

a *Item Seneca*. Ad L. I. c. v. & vii. diximus, hunc Senecæ librum intercidiſſe.

b DISERTI IN CONVICIUM SUUM. Bon. *diſſerti* Al. *diſerte* &c. Al. *in judicium* &c. Al. *deferti*.

c INDICIUM PROFESSOS PUTES. Aldus nobiſcum.

legit. Al. *in judicium*. Al. *judicia* ſuum. Al. *in indicium ſui*. Noſtram lectionem probant, & explicant Iſæus, Heum., Bunem, & Langletius omnibus præeunte Thommaſio, qui locum ex noſtro Fon. Cod. reſtituit, & hiſce verbis illuſtravit: *Indicium profeſſos putes; habet codex antiquus. Alii partim conveniunt cum lectione vulgari, partim diſcrepant. Sed mihi lectio antiqui Codicis ſola probatur. Indicium vero, ait, eos eſſe profeſſos, quia cum ea vitia reprehendebant, quibus ipſi maxime irretiti tenebantur, indicabant ipſi, quibus maledictis eſſent digni. Profiteri vero indicium dixit, metaphora quadam ſumpta a participibus criminum, qui ſæpe, ut eis impunitas criminum concedatur, profitentur indicium apud magiſtratum: hoc eſt, deferunt crimina, quorum ipſi etiam ſunt complices: Sic Philoſophi faciebant* &c.

12.

Quoſdam vero nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, ut etiam honeſte peccare videantur.

13.

Faciet ſapiens (inquit idem Seneca) *etiam quæ non probabit* [a], *ut etiam ad majora tranſitum inveniat: nec relinquet bonos mores, ſed tempori aptabit: ut quibus alii* [b] *utuntur in gloriam, aut voluptatem; utetur agendæ rei* [c] *cauſſa.*

De-

a *Quæ non probabit*: Bon. & Aldus: *probavit*.

b *Ut quibus alii* Bon. *Et quibus* Sic etiam Aldus. Al. *ut quibus*.

c *Utetur agendæ rei* &c. Sic Aldus. Al. *utatur*.

Deinde paullo poſt: *Omnia quæ luxurioſi faciunt, quæque imperiti: faciet & ſapiens, ſed non eodem modo, eodemque propoſito.* Atqui nihil intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt: quia facta cernuntur, animus non videtur.

15.

Ariſtippo Cyrenaicorum [a] magiſtro cum Laide [b] nobili ſcorto fuit conſuetudo: quod flagitium gravis ille philoſophiæ doctor ſic defendebat, ut diceret: multum inter ſe, & cæteros Laidis amatores intereſſe: quod ipſe haberet Laidem, alii vero a Laide haberentur.

---

a *Ariſtippo Cyrenaicorum Magiſtro* &c. Diximus adCap.viii. ſeg.9. hujuſce libri quod is patria Cyrene natus patrem habuit Aretadem itidem Cyrenenſem. Socratem Athenis audivit, quamvis ejuſdem exhortetiones irritas fecerit; Aeginam progreſſus, ubi liberiorem, quam antea vitam egit, luxu diffluentem. Poſtremo in patriam reverſus, Philoſophiam in ea docuit; æmulos habuit Xenophontem, Phædonem, Æſchinem, & Antiſthenem. Liparæ, quæ in Æolia inſula eſt, diem obiit ſub Dionyſio Siciliæ Tyranno, a quo fuerat magnificentia, & profuſa liberalitate invitatus. Ea quæ de illo a Lactantio recitantur, ſunt apud Laertium L. II. Seg. 75. Apud Cicer. in Epiſt. ultima ad Pætum. Apud Athen. L. xii. &c. Item de eo egimus diſſ. xl. cap. ix. §. 1,

b *Cum Laide*. De ea Ovidius L. I. Amor Eleg. v. ✝. 12. Gellius L. I. c. viii. Pauſanias *in Corinth.* &c.

16.

O præclara, & bonis imitanda ſapientia! Huic vero liberos in diſciplinam dares, ut diſcerent habere meretricem? Aliquid inter ſe, ac perditos intereſſe dicebat: ſcilicet quod illi bona ſua perderent, ipſe gratis luxuriaretur.

17.

In quo plane [a] ſapientior meretrix fuit, quæ ſic philoſophum habuit pro lenone, ut ad ſe omnis juventus doctoris exemplo, & authoritate corrupta, ſine ullo pudore concurreret.

a *In quo plane*. Al. *In quo tamen*. Al. *in quo ſane* Al. utramque lectionem indicat.

18.

Quid ergo interfuit, quo animo philoſophus ad meretricem formoſiſſimam [a] commearet, quum eum populus, & rivales ſui viderent omnibus perditis nequiorem?

a *Ad meretricem formoſiſſimam*. Al. *famoſiſſimam*. Nobiſcum legit Aldus.

19.

Nec ſatis fuit ita vivere, ſed docere etiam libidines cœpit, ac mores ſuos de lupanari ad ſcholam tranſtulit, diſſerens: voluptatem corporis eſſe ſummum bonum. Quæ doctrina execrabilis, & pudenda, non in corde philoſophi, ſed in ſinu meretricis eſt nata. Nam

20.

Nam quid ego de Cynicis loquar [a]? quibus in propatulo [b] coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, ſi a canibus, quorum vitam imitantur, etiam vocabulum, nomenque traxerunt?

---

a *De Cynicis loquar?* De eis jam locuti ſumus, qui Sectæ authorem habuerunt Antiſthenem. Vide ad L. i. cap. v. 18. & xvi. ſeg. 11. n. Plura autem de his habes diſſ. xl. cap. xvi.

b *In propatulo*. Sic L. i. c. xvi. Cicer. L. I. Offic. c. xxxiii. & xli. Auguſt. *de Civ. Dei* L. xiv. c. xx.

21.

Nullum igitur in hac diſciplina magiſterium virtutis eſt, quum etiam illi, qui honeſtiora præcipiunt, aut non faciant ipſi quæ ſuadent, aut ſi faciunt [a] [quod raro accidit] non diſciplina eos ad rectum, ſed natura perducat [b], quæ ſæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

---

a *Aut ſi faciunt*. Sic etiam Aldus Al. hæc omittunt.

b *Perducat* Al. *perducit*. Aldus nobiſcum legit.

C A P. X V I.

1.

VErum enim quum ſe perpetuæ deſidiæ tradant, nullamque virtutem capeſſant, & omnem ſuam vitam nihil aliud, quam

quam in eloquendo perdant [a]: quid aliud quam inertes debent putari?

a *Nihil aliud, quam in eloquendo perdant*. Sic reſtituo ex noſtro Bon. Cod., & uno Ottoboniano, ubi Al. habent *peragant*, pro *perdant*. Vere enim vitam *perdunt* non *peragunt*, qui vivendo nullam virtutem capeſſunt, etſi de illa loquantur magnifice, & eloquenter. Aldus ex Cod. Long. legit *ad nihil aliud* Walchius mallet; *per nihil aliud*. Noſtram lectionem tuetur Bunem., qui tamen retinere voluit *peragant*.

2.

Sapientia enim [a] niſi in aliquo actu fuerit, quo vim ſuam exerceat, inanis, & falſa eſt: recteque Tullius [b]: *Civiles viros, qui Rempublicam gubernent, qui urbes aut novas conſtituant, aut conſtitutas æquitate tueantur, qui ſalutem, libertatemque civium vel bonis legibus, vel ſalubribus conſiliis, vel judiciis gravibus conſervent, philoſophiæ doctoribus* [c] *præfert*.

a *Sapientia enim*. Al. *ſapientia autem*.

b *Recteque Tullius*. Locus hodie non ſupereſt niſi in fragmentis.

c *Philoſophiæ Doctoribus*. Al. *Actoribus*. Al. *Autoribus*.

3.

Bonos enim facere oportet potius, quam incluſos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipſi quidem faciunt, qui loquuntur: & quoniam ſe a veris actibus removerunt, ap-

pa-

paret eos, exercendæ linguæ cauſſa, vel avocandi gratia [a], artem iſtam philoſophiæ reperiſſe: qui autem docent tantum, nec faciunt, ipſi præceptis ſuis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, quum ipſi præceptores doceant non obtemperare?

a *Avocandi gratia*. Walchius cum vulgatis legit *advocandi*, & putat heic hiſce vocibus Lactantius uti ad ſignificandum *Cauſſam agere*. Quum Cicero eodem verbo utatur pro *fautores conquirere, qui conſilium ſuggerant, & patrocinentur*: ex curis poſterior: Cellarii, & Gunteri *Latin. reſtit.* Strenue pro Lactantio pugnavit Bunemannus, qui ex conjectura veram lectionem reſtituit collatis invicem locis, quæ antecedunt, & ſequuntur. *Avocare* enim idem valet, ac *removere*, & *Abſtrahare*; unde in hoc eodem Seg. Noſter inquit: *ſe a veris actibus removerunt*. Et infra: *ut ſe oblectent in ocio &c.*

4.

Bonum eſt autem [a], recta, & honeſta præcipere: ſed niſi facias, mendacium eſt: & eſt incongruens [b], atque ineptum eſt, non in pectore, ſed in labiis [c] habere bonitatem [d].

a *Bonum eſt autem*. Al. *Bonum eſt inquit*. Ex Heum.

b *In labiis*. Al. *labris*.

c *Et eſt incongruens*: Sic etiam Aldus. Al. *& incongruens* omiſſa voce *eſt*.

d *Bonitatem* Al. *veritatem*.

5.

Non ergo utilitatem ex philoſophia, ſed oblectationem petunt. Quod quidem Cicero teſtatus eſt: *Profecto*, inquit, *omnis iſtorum* [a] *diſputatio*[b], *quanquam uberrimos fontes virtutis, & ſcientiæ contineat* [c], *tamen collata cum horum actibus*, [d] *perfectiſque rebus* [e], *vereor ne non tam videatur utilitatis attuliſſe negotiis hominum, quantum oblectationem quamdam otii* [f].

---

a ISTORUM DISPUTATIO ſic etiam Aldus. Al. *Juſtorum*.

b OMNIS ISTORUM. Al. *juſtorum* Aldus nobiſcum legit.

c CONTINEAT. Bon. *contineant*.

d CUM HORUM ACTIBUS. Al. *altis*.

e PERFECTISQUE REBUS. Al. *perfidiſque rebus*.

f NE NON TAM VIDEATUR UTILITATIS ATTULISSE NEGOTIIS HOMINUM, QUANTUM OBLECTATIONEM OTII. Hanc lectionem ſic ex noſtro Bon. Cod. reſtituo, quam depravatam in aliis omnibus inveni. Aldus eadem repoſuit verba ex Cod. L. ſed, Tò *utilitatis* poſtpoſuit. Al. eam omiſerunt. Nonnulli pro *tam*: habent *tantum*. Al pro *quantum* legunt *quandam* &c. Schottus: *tantum non*.

6.

Vereri quidem non debuit, quum verum diceret: ſed quaſi timeret, ne proditi myſterii reus a philoſophis citaretur, non eſt auſus

ſus confidenter [a] pronuntiare, quod fuit verum, illos non ideo diſputare, ut doceant; ſed ut ſe oblectent in otio: qui quoniam authores ſunt rerum gerendarum [b], nec ipſi quicquam gerunt; pro loquacibus ſunt habendi [c].

a *Non eſt auſus confidenter loqui*: ſolus Bon. *non eſt viſus*. Al. *confitenter*.

b *Rerum gerendarum*. Bon. *generandarum*.

c *Pro loquacibus ſunt habendi*. Al. *pro mendacibus* Schottus: *pro præficis*.

7.

Sed profecto, quia nihil ad vitam boni afferebant [a], nec ipſi decretis ſuis obtemperaverunt, nec quiſquam per tot ſæcula inventus eſt, qui eorum legibus viveret. Abjicienda eſt igitur omnis philoſophia [b]: quia non

a *Quia nihil ad vitam boni afferebant*. Al. *ſed profecto, nihil quia boni* Heum. *& profecto nihil boni ad vitam afferebant, quia* &c.

b *Abjicienda eſt igitur omnis Philoſophia*. Bon. *eſt omnis igitur*. &c. Intellige de qua hactenus locutus fuerat Lactantius, & quam vanam, falſam, & inanem demonſtravit, ad beatitudinem conſequendam; non autem de ſcientia illa, per quam recta, & vera docemur; unde ſtatim ſubdit: *ſed ſapiendum eſt, & quidem mature*: ſecundum id quod habet Ap. ad Rom. xii. ℣. 3. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem, & unicuique ſicut Deus diviſit menſuram fidei*.

non ſtudendum eſt [c] ſapientiæ, quod ſine ac modo careat: ſed ſapiendum eſt, & quidem mature.

c *Studendum eſt .... careat*: Bon. *ſtudendum ..., caret*.

8.

Non enim nobis [a] altera vita conceditur, ut quum quæramus in hac ſapientiam, in illa ſapere poſſimus: in hac utrunque fieri neceſſe eſt: cito inveniri debet, ut cito ſuſcipi poſſit: nequid pereat ex vita, cujus finis incertus eſt.

a *Non enim nobis datur*. Aldus: *non datur*.

9.

Ciceronis Hortenſius contra philoſophiam diſſerens, circumvenitur arguta concluſione, quum diceret [a] philoſophandum non eſſe, nihilominus philoſophari videbatur: quoniam philoſophi eſt [b], quid in vita faciendum, vel non faciendum ſit, diſputare.

a *Quod quum diceret* Al. *qui*.
b *Philoſophi eſt*, *&* *quid*.

10.

Nos ab hac calumnia immunes, ac liberi ſumus, qui philoſophiam tollimus, quia humanæ cognitionis inventio eſt: ſophiam deſen-

ſendimus [a], quia divina traditio eſt [b], eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur.

a *Sophiam defendimus*. Sic omnes tam Mss. quam edit. præter noſtram Bonon. Cod., uti legitur *philoſophiam ſapientiam*. Sophiam enim Græce dicitur ſapientia; unde martialis L. I. cxii. ait:

Quum tibi Sophiæ per ſama; & cura Deorum. & Cicero L. I. Off. 153. *Princepſq. omnium virtutum eſt illa ſapientia quam σοφαν Græci vocant.*

b *Quia divina traditio eſt, eamque ab omnibus ſuſcipi oportere teſtamur*. Nam ſapientiam divinarum rerum, atque myſteriorum non ſolum per verbum ſcriptum; ſed etiam per verbum traditum ſuſcipere debemus, teſte Lactantio, ſi omnia catholica dogmata diſcere volumus, & adimplere, quod certe fieri ab iis numquam poterit, qui divinas, & Apoſtolicas traditiones ab Eccleſia Romana, tamquam cæleſte depoſitum, unice cuſtoditas, temere proſcindunt, & reſpuunt.

11.

Ille, quum philoſophiam tolleret, nec melius aliquid afferret, ſapientiam tollere putabatur: eoque facilius de ſententia pulſus eſt, quia conſtat, hominem non ad ſtultitiam, ſed ad ſapientiam naſci.

12.

Præterea illud quoque argumentum contra philoſophiam valet plurimum, quo idem eſt uſus Hortenſius [a], ex eo ipſo poſſe intelligi, phi-

a *Quo idem eſt uſus Hortenſius*. Bon. *idem id eſt uſus*. De Hortentio autem vide Diſſ. xi. cap. xxii. §. xx. ***

philoſophiam non eſſe ſapientiam , quod principium , & origo ejus appareat:

13.

Quando , inquit , *philoſophi eſſe cœperunt? Thales (ut opinior) primus , recens hæc quidem ætas , ubi ergo apud antiquiores latuit amor iſte inveſtigandæ veritatis ?*

14.

Idem Lucretius ait:

Denique natura hæc rerum , ratioque reperta eſt
Nuper : & hanc , primum [a] *cum primis ipſe repertus*
Nunc ego ſum , in patrias , qui poſſim vertere voces .

Et Seneca: *Nondum ſunt* , inquit , *mille anni , ex quo initia ſapientiæ nota ſunt*[c] .

---

a *Nuper & hanc primns* . Bon. *hæc primus* .

b *Nondum ſunt inquit mille anni* . Bon. *Non ſunt* Betulejus heic putat hæc referri non poſſe ad Thalem Mileſium , qui vix octingentis annis Senecæ tempora anteceſſit ; ideoque vel ad Heſiodi , vel ad Homeri tempus alligandum eſſe initium Philoſophiæ, quam ſapientiam appellabant Ethnici . At dato quod Thales Milſieus DCCC ſolummodo annis Senecam præceſſiſſet , quare ad eum referri non poteſt Senecæ dictio : *Nondum ſunt mille anni ex quo initia ſapientiæ nota ſunt* ? Nonne & Judæi Chriſto Domino dixerunt: *Quinquaginta annos nondum habes , & Abraham vidiſti?* Joh. viii. ℣. 57. Quamvis tunc vix trigeſimum æta-

ætatis ſuæ annum attigiſſet? Modus ergo dicendi erat antiquis, majorem ultro annorum numerum dare, ut certiori argumento id evincerent, quod circa tempus propoſuerant. Arnobii ſimilis Ethnicorum locutio eſt, quam in diſſertatione noſtra x. §. xvii. expendimus.

c *Initia ſapientiæ nota ſunt*. Al. *mota ſunt*. Al. *nata ſunt*; ſed nil mutandum cenſeo, quamvis videam quocumque ex hiſce modis dici poſſe, quod heic intendit Lactantius. Nota tamen erraſſe Cellarium quum dixit, Aldum Manutium ſeniorem invexiſſe primum *nota* pro *mota*; nam tam in Mss. quam in impreſſis Aldo antiquioribus lectio noſtra obtinuit, nec junior Aldus quicquam mutavit, aut mutandum indicavit.

15.

Multis ergo ſæculis humanum genus ſine ratione vixit. Quod irridens Perſius . . . . *Poſtquam*, inquit, *ſapere urbi Cum pipere, & palmis venit*: tanquam ſapientia cum ſaporis mercibus a fuerit invecta: quæ ſi ſecun-

I 4 dum

a *Cum ſaporis mercibus*. Scilicet *cum mercibus ſaporatis*, ſeu Aromatibus, & ſale conditis, quæ non ab orbe condito in uſum homines habuerunt; ſed temporibus poſt diluvianis. Gulielmus Canterus L. iii. Novar. Lect. c. xxx. intellexit de mercibus Saporis Perſarum Regis, ideoque caſtigatus merito a Roberto Titio locor. controv. L. ix. c. iii. quem conſule ſi hujus adjuncti quæris originem, ego vero non adjectivum ſex. caſ. ſed ſecund. ſubſtant. putarem cum Hen. Steph.

dum hominis naturam eſt, cum homine ipſo [b] cœperit, neceſſe eſt: ſi vero non eſt, nec capere quidem illam poſſet humana natura.

b *Quæ ſi ſecundum hominis naturam eſt, cum homine ipſo*. Bon. Tò *ſi*, & *eſt* non habet, Al. *cum homine eſſe*.

16.

Sed quia recepit [a], a principio igitur fuiſſe ſapientiam [b], neceſſe eſt: ergo philoſophia quia non a principio fuit: non eſt eadem vera ſapientia: ſed videlicet Græci [c], qui ſacras [d] veritatis literas non attigerant, quemadmodum depravata eſſet ſapientia, neſciverunt [e].

a *Sed quia recepit, a principio igitur* &c. Bon. *recipit*. Al. *igitur a principio*.
b *Fuiſſe ſapientiam* Al. Tò *ſapientiam* non habent.
c *Sed videlicet Græci*. In noſtro Codice eodem charactere antiquo legitur: *vellem licet fert*.
d *Qui ſacras*. Bon. *quia ſacros*.
e *Neſcierunt*. Al. *neſciverunt*.

17.

Et ideo quum vacare ſapientia humanam vitam putarent, philoſophiam commenti ſunt, id eſt, latentem, atque ignotam ſibi veritatem diſſerendo eruere [a] voluerunt: quod ſtudium per, ignorantiam veri, ſapientiam putaverunt.

CAP-

a *Latentem, atque ignotam ſibi veritatem diſſerendo eruere*. En quam Philoſophiam improbabat Lactantius; idcoque perperam ab aliquibus ſupra caſtigatus eſt.

CAP. XVII.

1.

DIxi de philoſophia, quam potui breviter [a]: nunc ad philoſophos veniamus, non ut cum his decertemus [b], qui ſtare non poſſunt, ſed ut eos fugientes, atque dejectos [c] noſtro campo inſequamur.

---

a *Dixi de Philoſophia quam potui breviter*. Al. *dixi de Philoſophia ipſa quam breviter potui*.

b *Non ut cum his decertemus* Al. *cum eiſdem*: vel *cum iiſdem*.

c *Atque dejectos*: Schott. *disjectos*.

2.

Epicuri diſciplina [a] multo celebrior ſemper fuit, quam cæterorum: non quia veri aliquid afferat, ſed quia multos [b] ad populare nomen voluptatis iuvitat. Nemo enim non in vitia pronus eſt.

---

a *Epicuri diſciplina*: Quare id contigerit a ſegm. ſequenti, & infra viſuri ſumus.

b *Sed quia multos* &c. Supra ad Caput vii. ſeg. 7. innui, Lactantium a quibuſdam fuiſſe perperam inconſtantiæ poſtulatum, quod quum ibidem ſummi boni ratio in animi voluptate ab Epicuro ſita dicatur, idem heic, & cap. xxvii. fiat corporeæ voluptatis aſſertor; At cap. viii. ſeg. 5. ſatis docuerat Lactantius Animi bonum in ſententia Epicuri commune eſſe etiam jumentis, quoniam homini, & jumento ejuſdem natu-

turæ animam tribuebat Epicurus; vide infra ſeg. 34. ſeq. unde Lucr. L.III. a ℣. 176.

Ergo corpoream naturam animi eſſe neceſſe eſt,
Corporeis quoniam telis, ictuque laborat.

Icciréo mirandum ſane eſt, optimam a Walchio dictam fuiſſe Epicuri de ſummo bono ſententiam, laudatum ab Iſæo Epicurum, & ab utroque Lactantium non ſemel reprehenſus, tamquam ſi injuriam optimo philoſopho irrogaſſet. Vel ea, quæ in hoc capite, & quæ in xxvii. de Epicurea diſciplina dicuntur, vera ſunt, & jam conſtat, Epicurum ſibi per aſtutiam, non Lactantium, contradixiſſe, & impiam profeſſum eſſe philoſophiam. Si vero falſa eidem impacta calumnia eſt, quare heic ab hiſce defenſoribus probitas illius non vindicatur? Verum quia Walchius ad c.vii. n.1. ad Gaſſendi & Stanle. nos ablegat, vide diſſ.xxviii. Cap. I. §. ii., & diſſ. xl. cap. xx.

3.

Propterea [a], ut ad ſe multitudinem contrahat, appoſita ſingulis quibuſcumque moribus [b] loquitur. Deſidioſum vetat literas diſcere, avarum populari largitione liberat, ignarum [c] prohibet accedere ad rempublicam, pi-

a *Præterea*: Sic corrigit etiam Aldus ubi Al. legunt; *Propterea*.

b *Singulis quibuſcumque moribus*: Sic etiam Aldus. Al. *quibuſque*. Obſerva heic Epicuri aſtutiam ab ejuſdem aſſeclis nunc egregie imitatam, quorum in noſtra Iſagoce ingenuam adumbravimus imaginem, præſertim §. xix. ſeq.

c *Ignarum*. Al. *ignavum*.

pigrum exerceri [d], timidum militare.

d *Pigrum exerceri*. Al. *exercere*.

4.

Irreligioſus audit Deos nihil curare: inhumanus in ſuis commodis jubetur [a] nihil cuiquam tribuere: omnia enim ſui cauſſa [b] facere ſapientem.

a *Inhumanus in ſuis commodis jubetur* &c. Al., *& ſuis commodis ſerviens*. Al. *inumanus*.

b *Sui cauſſa*. Al. *ſua cauſa*.

5.

Fugienti turbam ſolitudo laudatur, qui nimium parcus eſt, diſcit aqua, & polenta vitam poſſe tolerare [a], qui odit uxorem [b], huic enumerantur cœlibatus bona: habenti malos liberos, orbitas prædicatur: adverſus parentes impios [c] nullum eſſe vinculum naturæ [d]: impatienti, ac delicato, dolorem eſſe omnium malorum maximum dicitur: forti, etiam in tormentis [e], beatum eſſe ſapientem. Qui

a *Poſſe tolerare*: Al. *tollerari*.

b *Qui odit uxorem*: Bon. *qui odit pudorem*.

c *Adverſus parentes impios*: Mallem cum Bunem. legere: *impio* ſcilicet *dicitur*.

d *Nullum eſſe vinculum Naturæ*: Hobbeſius hunc ab inferis errorem auſus fuit revocare, L. *de Cive* cap. ix.

e *Forti etiam in tormentis* &c. Adde ſeg.5.c.xxvii.

6.

Qui claritati, ac potentiæ ſtudet, huic præcipitur reges colere: qui moleſtiam ferre non poteſt [a], huic regiam fugere.

a *Qui moleſtiam ferre non poteſt*. Bon. *qui miles militiam f.* ec. quod etiam ab Aldo in ſuo Cod. annotatum eſt.

7.

Ita homo aſtutus ex variis, diverſiſque moribus [a] circulum cogit: & dum ſtudet placere omnibus, majore diſcordia [b] ſecum ipſe pugnavit, quam inter ſe univerſi. Unde autem diſciplina ejus tota deſcendat [c], quam originem habeat [d] explicandum eſt.

a *Ex variis, diverſiſque moribus*. Al. *modis*: Fulvius Urſinus *nodis*.

b *Majore diſcordia* &c. Heic Iſæus noſcere poterat, Lactantius ne, an Epicurus ſibi contradixiſſet.

c *Diſciplina ejus tota deſcendat*: Bon., & Aldus legunt: *Unde autem diſciplinæ hiſtoria deſcendat*: error ex characteribus male formatis, ac proximis facile ſubortus.

d *Quam originem habeat*: Gloſſema Heumanno hoc eſſe videtur.

8.

Videbat Epicurus [a] bonis adverſa ſemper accidere, paupertatem, labores, exilia, charorum amiſſiones: malos contra, beatos eſſe,

a *Videbat Epicurus* &c. Confer cap. xvi. *de Ira Dei*, & Senec. L. *de Provid.* Bun.

eſſe, augeri potentia, honoribus affici; videbat innocentiam minus tutam, ſcelera impune committi: videbat, ſine delectu morum, ſine ordine, ac diſcrimine annorum [b] ſævire mortem, ſed alios [c] ad ſenectutem pervenire, alios infantes rapi, alios jam robuſtos interire, alios in primo adoleſcentiæ flore [d] immaturis funeribus [e] extingui: in bellis meliores potius [f] & vinci, & perire.

b *Sine diſcrimine annorum*. Al. *autorum*.
c *Sed alios*. Al. *& alios*: vide cap. IV. ſeg. 11. *de Opif. Dei*.
d *Adoleſcentiæ flore*: Bon. *Adulescentiæ*,
e *Immaturis funeribus*: Bon. *immaturæ*.
f *In bellis meliores potius* Al. *potius meliores*.

9.

Maxime autem commovebat, homines in primis religioſos gravioribus malis affici: iis autem, qui aut Deos omnino negligerent [a], aut non pie colerent, vel minora incommoda evenire [b], vel nulla: ipſa etiam templa [c] ſæpe fulminibus conflagare.

a *Omnino negligerent*: Bon. *neglegerent*.
b *Provenire*: Al. *evenire*.
c *Ipſa etiam ſæpe templa*: Bon. primam, Al. tertiam vocem omittunt.

10.

Quod Lucretius queritur, quum dicit de Deo [a]: Tum

a Betulejus hoſce verſus in Lucretii libris non in-

. . . Tum fulmina mittat: & ædeis
Ipſe ſuas diſturbet: & in deſerta recedens
Sæviat exercens telum: quod ſæpe nocenteis
Præterit, exanimetque indignos, inque merenteis [b].

Quod

inveniri, dixit; eos tamen ibidem invenerunt Iſæus, & Alii. Extant autem L. II. a ℣. 1100. Item addit: *Mirum eſt, inter tot rerum Romanarum ſcriptores neminem unum eſſe, qui hujus fulminis, præter hos, mentionem fecerit*. At hæc dormitando fortaſſe ſcripſit. Nam Livii, & Julii obſequentis hiſtoriæ Capitolium de Cælo tactum, quod prodigii loco Romani habebant, ſæpiſſime tradunt. Svetonius in Domitiano, non ſolum Capitolium, ſed proximum Flaviæ Gentis templum, ac vicinas ædes fulmine ictas narrat, & Horatius L. 1. Carm. II. ad Auguſtum qui Jovis Tonantis in Capitolio ſignum poſuit, ita locutus eſt de templis Deorum generatim:

Jam ſatis terris nivis, atque diræ
Grandinis miſit pater: & rubente
Dextra ſacra jaculatus arces
Terruit Vrbem.

Unde Sectanus Satyr. 1. ℣. 44. Epicurei Perſonam indutus inquit:

Maxima pars hominum pallet formidine divum,
Dum Templa, & ſacræ tanguntur fulmine turres,
Nec pudet ante aras &c.

b Inque merentes I. E. Nefarios, impios, ac ſceleſtos homines, qui plecti merentur. Vide ad L.v. cap. IX. ſeg. 17. Al. *inique merentes*: quod pulcherrimi carminis venuſtatem, rationemque deturpat.

11.

Quod ſi vel exiguam veritatis auram [a] colligere potuiſſet, nunquam diceret, ædes illum ſuas diſturbare: quum ideo diſturbet, quia non ſunt ſuæ [b].

a *Exiguam veritatis curam*: Elegans methaphora, qua ſæpe utitur, & mutat, adhibitis vocibus *odoris*, *Lucis*, *ſaporis* &c.

b *Quia non ſunt ſua*. Al. *quod non ſint*.

12.

Capitolium [a], quod eſt Romanæ urbis, & religionis caput ſummum, non ſemel ſed ſæpius fulmine ictum conflagravit.

a *Capitolium* &c. Arnobius L. VI. de hoc eodem argumento agens: *Qui Capitolium toties edax ignis abſumeret, Jovemque ipſum Capitolinum cum uxore corripuiſſet, ac filia, ubinam fulminator tempore illo fuit?* Alludit enim ad tria illa Capitolii templa, quæ ante Cæſaris necem de cælo ſunt tacta. Hinc Author *conſolationis* ad Liviam, ait:

Jupiter ante dedit fati mala ſigna cruenti,
Flammigera petiit quum tria templa manu.

13.

Homines autem ingenioſi quid de hoc exiſtimaverint, ex dicto Ciceronis apparet: qui ait: *divinitus extitiſſe illam flammam, non quæ terreſtre* [a] *illud domicilium Jovis deleret*,

a *Non quæ terreſtræ*: Bon. *Caleſte* contra fidem omnium librorum cum Cic., tum Lact.

ret, ſed quæ ſublimius [b], *magnificentiuſque depoſceret*.

b *Sed quæ ſublimius*: Betuleii ſomnium heic velim legas, quum paullo, ante dormitantem eum vidiſſes: *Simili vafricie, ait, uſus eſt Satan in noſtris delubris. Exemplo eſſe poteſt ædes hic Auguſtæ. S.Huldricho, & Afræ conſecrata, ut quæ poſt incendium, quo conflagravit, non ſatis magnifica inſtaurata graviſſima corruerit ruina*. Incendium hæic comminiſcur, & ruinam; quæ tamen diſſipat antiquiſſimum illius ... cræ ædis, ac Coenobii ædificium, multo, & pro ratione temporum, non impolito lapide, conſtructum.

14.

Qua de re etiam in libris conſulatus [a] eadem dixit, quæ Lucretius:

Nam pater altitonans ſtellanti nixus olimpo,
Ipſe ſuas arces, atque inclyta templa petivit,
Et Capitolinis injecit ſedibus ignes.

a *In libris conſulatus ſui*: Non extant hodie libri iſti; ſed tamen carmina laudata leguntur lib. II. de divinatione, quamvis illud, quod ſecundo loco heic ponitur, ibidem ſcribatur hoc modo: *ipſe ſuos quanquam tumulos, ac templa petivit*.

15.

Pertinaciter ergo ſtulti non modo vim [a] majeſtatemque veri Dei non intellexerunt, ſed

a *Pertinuitur ergo ſtulti, non modo vim*. Al. *pertinaci ergo ſtultitia*.

ſed etiam impietatem ſui erroris auxerunt, qui templum, cæleſti judicio ſæpe damnatum [b], reſtituere contra fas omne contenderint.

---

b *Templum cæleſti juſtitia ſæpe damnatum*: Ex Epiſt. S. Hieron. XVII. & XVIII., ad Marcellam, quam invitant ad Rus Bethlemiticum idem Hieronymus, Paula, & Euſtachium hæc ad rem exſcripſit heic Bunem: *Hic puto locus ſanctior eſt Tarpeja Rupe, quæ de Cælo ſæpius fulminata oſtendit, quod Domino diſpliceret.*

16.

Quum hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum, velut iniquitate inductus (ſic enim cauſſam, rationemque ignoranti videbatur) exiſtimavit nullam eſſe providentiam [a].

---

a *Exiſtimavit nullam eſſe providentiam*: Eodem argumento illuſi in eundem lapidem Ethnicorum plurimi inciderunt. Sic Lucanus L. VII. Seneca in Hippol. act. III. Ovidius L. III. Amor. Eleg. VIII. &c.

17.

Quod quum ſibi perſuaſiſſet, ſuſcepit etiam defendendum: ſic in errores inextricabiles ſe ipſe conjecit. Si enim providentia nulla eſt, quomodo tam ordinate, tam diſpoſite mundus effectus eſt? *Nulla*, inquit, *diſpoſitio* [a] *eſt: multa enim facta ſunt aliter,*

---

a *NULLA, inquit, DISPOSITIO*. Al. *RATIO pro diſpo-*

quam fieri debuerunt, & invenit homo divinus, quæ reprehenderet [b].

---

diſpoſitio: Verba Epicureorum ſunt, quibus, ut errorem ſemel præconceptum propugnent, ad negandam etiam patentem veritatem adiguntur. Apud Lucretium ſenſa eadem leguntur L. IV. ỷ. 200.

b *Et invenit homo divinus, quæ reprehenderet*. Heum. pro *&* mallet *en*, vel *ita*; ſed bene Bunem. putavit, retinendam *&*, quæ indignantis, ac ironice loquentis dictionem auget.

18.

Quæ ſingula ſi vacaret refellere, facile, oſtenderem, nec ſapientem hunc fuiſſe, nec ſanum. Item ſi nulla providentia eſt, quomodo animalium corpora tam providenter [a] ordinata ſunt, ut ſingula quæque membra mirabili ratione diſpoſita, ſua officia conſervent?

---

a *Providenter*. Sic Plin. in Paneg. ad Trajan. c. 1. Al. *prudenter*.

19.

Nihil, inquit [a], *in procreandis animalibus providentiæ ratio molita eſt, tam neque oculi facti ſunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes ad ambulandum; quoniam prius hæc*

---

a Nihil, *inquit* &c. Scilicet Epicurus, quem ſecutus eſt Lucretius L. IV. a ỷ. 824. Quorum ſenſa heic per dialogum referuntur, diverſo charactere, conſcripta.

hæc nata ſunt, quam eſſet, loqui, audire, ambulare.

20.

Itaque non hæc ad uſum nata ſunt, ſed uſus illis natus eſt. Si nulla providentia eſt, cur imbres cadunt, fruges oriuntur, arbuſta frondeſcunt? *Non*, inquit: *ſemper animantium* [a] *cauſſa iſta fiunt: quoniam providentiæ nihil proſunt, ſed omnia ſua ſponte fieri, neceſſe eſt.*

---

a NON, inquit, ANIMANTIUM &c. L. II. a ℣. 257. Al. NON, *inquit*, SEMPER: Aldus nobiſcum legit.

21.

Unde ergo naſcuntur, aut quomodo fiunt omnia, quæ geruntur? *Non eſt*, inquit, *providentiæ opus. Sunt enim ſemina per inane volitantia* [a], *quibus inter ſe temere conglobatis, univerſa gignuntur, atque concreſcunt.*

---

a SEMINA PER INANE VOLITANTIA. Ideſt atomi, quibus Democrito, Epicuro, & Leucippo, aliiſque nonnullis, omnia conſtare corpora viſa ſunt. Vide quæ diximus ad Cap. II. *de Op. Dei*. Seg. 2. & *ad Cap. x. de Ira Dei*. Lucr. L. II. a ℣. 1053.

22.

Cur igitur illa non ſentimus [a], aut cernimus? *Quia nec colorem habet*, inquit, *nec ca-*

---

a *Cur igitur illa non ſentimus, aut cernimus?* Sic etiam Aldus. Al. *non cernimus*.

calorem ullum, nec odorem: ſaporis quoque & humoris expertia ſunt, & tam minuta, ut ſecari, ac dividi nequeant b.

b UT SECARI, *ac* DIVIDI NEQUEANT. Cicer. in Quæſt. Acad. L. IV., & de Nat. Deor. L. I. *Iſta enim flagitia Democriti, ſive etiam Leucippi, eſſe corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, rotunda alia, partim autem angulata, curvata quædam, & quaſi adunca ex his effectum eſſe Cœlum, atque terram, nulla cogente natura, ſed concurſu quodam fortuito.* &c. Vide Petrum Gaſſendum ad L. X. Laertii in vita Epicuri.

23.

Sic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentium rerum neceſſitas ad deliramenta perduxit. Ubi enim ſunt a, aut unde b iſta corpuſcula? Cur illa nemo præter unum Leucippum ſomniavit? a quo Democritus eruditus, hæreditatem ſtultitiæ reliquit Epicuro.

a *Ubi enim ſunt* &c. Vide hæc Uberius exagitata Cap. X. de Ira Dei.
b *Aut unde?* Bon. *aut unde ſint?* Sic etiam Aldus.

24.

Quæ ſi ſunt a corpuſcula, & quidem ſolida, ut dicunt, ſub oculos certe venire poſſunt. Si eadem eſt natura omnium, quomodo res varias efficiunt? *Varia*, inquit, *ordine, ac poſitione conveniunt, ſicut literæ: quæ quum ſint*

a *Quæ ſi ſunt*. Al. *quæ ſi ſint*. Al. *qui ſi ſunt*.

ſint paucæ, varie tamen collocatæ, innumerabilia verba conficiunt.

25.

At literæ varias formas habent. *Ita*, inquit, *& hæc ipſa primordia. Nam ſunt aſpera, ſunt hamata, ſunt levia.* Secari ergo, & dividi poſſunt, ſi aliquid ineſt illis, quod emineat. Si autem levia ſunt, & hamis [a] indigent, cohærere non poſſunt. Hamata igitur eſſe oportet, ut poſſint invicem concatenari.

a *Et hamis*: Sic etiam Aldus. Bon. *umoris*. Al. *humoris*. Luc. L. II. ℣. 445.

26.

Quum vero tam minuta eſſe dicuntur, ut nulla ferri acie diſjici valeant, quomodo hamos, aut angulos habent? Quos, quia extant, neceſſe eſt poſſe divelli.

27.

Denique [a] quo fœdere inter ſe, qua mente conveniunt, ut ex his aliquid conſeratur [b]? ſi ſenſu carent, nec coire tam diſpoſite poſſunt.

a *Denique* Al. *deinde*.

b *Ut ex his aliquid conſeratur*. Al. *conſtituatur*. Noſtra lectio magis conſona eſſe videtur iis, quæ ſequuntur; dicitur enim: *conſerere agros pomorum generibus*. Al. *conſtruatur*. Al. *conſtituatur*. Aldus legit nobiſcum.

ſunt. Quia non poteſt quicquam rationale perficere niſi ratio.

28.

Quam multis coargui hæc vanitas poteſt, ſed properat oratio. Hic eſt ille,

Qui genus humanum ingenio ſuperavit: & omnes
Reſtinxit ſtellas[a], *exortus, uti ætherius ſol.*

Quos equidem verſus nunquam ſine riſu legere poſſum.

a. Restinxit Stellas. Al. *extinxit*. Al. *præſtrinxit*: Hanc letionem propugnat, & alias reprobat Michael Fayus ad Lucret.

29.

Non enim de Socrate, aut Platone hoc ſaltem dicebat, qui velut reges habentur philoſophorum: ſed de homine, quo ſano, & vigente nullus æger ineptius[a] deliravit. Itaque poëta inaniſſimus[b] leonis laudibus murem non ornavit, ſed obruit, & obtrivit[c].

a *ineptius*. Bon. *inertius*.
b *Poeta inaniſſimus*. Al. *vaniſſimus*.
c *Et Obtrivit* Bon. *obſtruit*. Male, Murem pro Leone oſtendere proverbium eſt. Unde Horatii vulgatum illud adagium:
Parturient Montes: naſcetur ridiculus Mus.

30.

At idem nos liberat metu mortis, de qua hæc

hæc ipſius verba ſunt expreſſa: *Quando nos ſumus* [a], *mors non eſt: quando nos non ſumus, mors eſt* [b]*: mors ergo nihil ad nos.*

a *Quando nos ſumus* &c. Apud Laertium L. x. 124. ſeq.
b *Quando mors eſt* &c. Al. *quando nos non ſumus* &c. Aldus nobiſcum legit.

31.

Quàm argutè nos fefellit! quaſi vero tranſacta mors timeatur, quia jam ſenſus ereptus eſt, ac non ipſum mori, quo ſenſus eripitur. Eſt enim tempus aliquod, quo & nos jam ſumus, & mors tamen [a] nondum eſt, idque ipſum [b] videtur miſerum eſſe, quum & mors eſſe incipit, & nos eſſe deſinimus.

a *Quo & nos jam ſumus, & mors tamen* &c. Lege, inquit Iſæus: *Quo etiamnum ſumus*; Sed male: Tempus enim eſt quoddam medium ab Epicuro non indigitatum, quando ſcilicet nos nati ſumus, & per conſequens Mors eſſe poſſit quamquam *nondum eſt* Al. *quo & nos* jam non *ſumus*.
b *Idque ipſum....; quum*: Bon. *quo* Male. Nam hoc eſt aliud temporis punctum ab his diverſum; quando ſcilicet mori incipimus.

32.

Nec fruſtra dictum eſt: *MORS miſera non eſt, aditus ad mortem eſt miſer*, hoc eſt, morbo tabeſcere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus be-

beſtiarum laniari [a]: hæc ſunt, quæ tinentur, non quia mortem afferunt, ſed quia dolorem magnum.

a *Dentibus Beſtiarum laniari*. Sic omnes, excepto Cod. Bon., in quo Τὸ *Beſtiarum* non legitur.

33.

Quæ res potius efficit [a], ut dolor malum ſit. *Omnium*, inquit, *malorum maximum eſt*. Quid ergo non poſſum [b] non timere, ſi id, quod mortem antecedit, aut efficit, malum eſt? Quid? quod totum illud argumentum falſum eſt? quia non intereunt animæ.

a *Quæ res potius efficit*: Al. *quin potius effice*. Al. *effici*.

b *Quid ergo non poſſum* &c. Al. *qui ergo poſſum non* &c. quid ergo? &c.

34.

Vero, inquit [a], *nam quod cum corpore naſcitur, cum corpore intereat, neceſſe eſt*. Jam ſuperius dixi [b], differre me hunc locum melius, & operi ultimo reſervare, ut hanc Epicuri perſuaſionem, ſive illa Democriti, ſive Dicæarchi [c] fuit, & argumentis, & divinis teſtimoniis redarguam.

a VERO *inquit*: Al. *vere*: Intellige: *imo vero intereunt* in Epicuri ſententia. Vide Jo.Cl. tom.2. p.276.

b *Jam ſuperius dixi*: Scil. c. 13. ſeg. 3. ubi ad L. VII. cap. VII. c. VIII. XII. & XIII. nos ablegat.

c *Sive illa Democriti, ſive Dicæarchi*: Cicer. L. I. Quæſt.

Quæſt. Tuſcul. *Democritum magnum quidem illum virum, ſed levibus, & rotundis corpuſculis efficientem animum concurſu quodam fortuito omittamus. Nihil eſt enim apud iſtos, quod non atomorum turba conficiat.* &c. *quid de Dicaarcho, qui nihil omnino animum dicat eſſe? His ſententiis omnibus nihil poſt mortem pertinere ad quemquam poteſt; pariter enim cum vita ſenſus amittitur.* De eo etiam infra egit Cicer., & Lact. L. VII. c. VII. 8. & 13. Laertius L. III. ſeg. 5. ubi vide Menagium.

35.

Verum illi fortaſſe impunitatem vitiis ſuis ſpopondit: fuit enim turpiſſimæ voluptatis [a] aſſertor, cujus capiendæ cauſſa naſci hominem putavit.

a *Turpiſſimæ voluptatis.* Hæc confirmant quæ diximus paullo ſupra ſeg. 2. & ad Cap. VII. & VIII. ſeg. 5. Nihilominus Bunemannus heic, qui alibi tacuerat; *Inique*, inquit, *Epicurus ſic vocatur, qui ſummum Bonum in voluptate animi poſuit.* Et non ſolum ad Gaſſendum, verum etiam ad cap. XXXIII. *Epitom.* & ad Paſchium *de modis moralia tractandi* p. 696. ſeq. nos ablegat. At Epicuri cauſſa ex his, quæ hactenus citra controverſiam Lactantius dixit, deſperata eſt. Vide diſſ. XXVIII. cap. I §. II.

36.

Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis, & ſceleribus abſtineat? Nam ſi perituræ ſunt animæ appetamus divitias, ut omnes ſuavitates capere poſſimus. Quæ ſi nobis deſunt, ab

iis:

iis, qui habent; auferamus: clam, dolo, vi. Eo magis, ſi humanas res Deus nullus curat, quandocunque ſpes impunitatis arriſerit; rapiamus, necemus.

37.

Sapientis eſt enim malum facere, ſi & utile ſit, & tutum: quoniam ſiquis in cælo Deus eſt, non iraſcitur cuiquam. Atque ſtulti eſt [a], benefacere: quia ſicut ira non commovetur; ita nec gratia tangitur.

a *Atque ſtulti eſt*. Id eſt: *pari*, aut *ſimili modo*: Al. *Ideoque* ... *Et* Al. *eoque* Bon. *& quæ ſtulti eſt benefacere*.

38.

Voluptatibus igitur, quomodo poſſumus, ſerviamus. Brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis ſine voluptate [a] patiamur: ne, quia ipſi quandoque perituri ſumus, id ipſum, quod viximus, pereat.

a *Nobis ſine voluptate*: Bon. *noviſſime voluptate*: peſſime.

39.

Hoc ille tametſi non dicit [a] verbo, re tamen ipſa docet. Nam quum diſputat, omnia ſapien-

a *Hoc ille tametſi non dicit* Bon. *Hæc ille Thales ſi non*.

pientem ſua cauſſa facere, ad utilitatem ſuam refert omnia, quæ agit.

40.

Itaque qui audit [a] hæc flagitia, nec boni quicquam faciendum putabit, quoniam benefacere ad utilitatem ſpectat alienam: nec ab ſcelere [b] abſtinendum, quia maleficio præda conjuncta eſt.

a *Itaque qui audit*. Al. *Ita qui* &c. Al. *Atqui* &c.
b *Ab ſcelere*: Al. *a ſcelere*. Al. *a vulnere*.

41.

Archipirata quiſpiam [a], vel latronum ductor, ſi ſuos ad graſſandum cohortetur, quo alio ſermone uti poteſt, quam ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus?

a *Archipirata quiſpiam*: Bon. *Archipirata* Al. *quiſquam*.

42.

Deos nihil curare: non ira, non gratia tangi: inferorum pœnas non eſſe metuendas, quod animæ poſt mortem occidant, nec ulli omnino ſunt inferi: voluptatem eſſe maximum bonum: nullam eſſe humanam ſocietatem: ſibi quemque conſulere, neminem eſſe, qui alterum diligat, niſi ſua cauſſa: mortem non eſſe metuendam forti viro, nec ullum dolorem: qui ſi torqueatur [a], ſi uratur, nihil ſe curare dicat. Eſt

a *Qui ſi torqueatur*. Al. *quin etiam ſi torqueatur*. Bun. mallet: *qui etiam ſi*.

43.

Eſt planè, cur quiſquam putet hanc vocem viri eſſe ſapientis, quæ poſſit[a] latronibus aptiſſime accommodari?

a *Quæ poſſit*. Al. *quæ poteſt*. Al. *prodeſt*.

CAP. XVIII.

1.

ALii autem contraria his differunt, ſupereſſe animas poſt mortem, & hi ſunt maxime Pythagoræi[a], ac Stoici quibus & ſi ignoſcendum eſt, quia verum ſentiunt: non poſſum tamen non reprehendere eos, quia non ſcientia, ſed caſu inciderunt in veritatem itaque in eo ipſo, quod recte ſentiebant, aliquid errarunt.

a *Pythagoræi*. Al. *Pythagorici*. Quæ ſit inter eos differentia vide diſſ. XL. cap. XVI. §. I.

2.

Nam quum timerent argumentum illud, quo colligitur[a], neceſſe eſſe; ut occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus naſcuntur: dixerunt non naſci animas[b], ſed inſinuari

a *Quo colligitur*. Bon. *de quo colligitur, neceſſe eſt ut occidant*.

b *Non naſci animas, ſed inſinuari*. In hac errarunt

nuari potius in corpora, & de aliis in alia migrare.

---

runt; & in ſequenti propoſitione, Scilicet *de aliis in alia Corpora migrare*. De hac Animarum tranſmigratione egit luculenter Paganinus Gaudentius, & S.Auguſtinus L. x. cap. xxx. *de Civ.Dei.* Vide ad L.de *Opif.*cap.xvii.ſeg.7.diſſ.xxv.c.iv.Eam ab Ægyptiis accepiſſe Pythagoram, dicit Herodotus in Euterpe, eandemque tenuiſſe Gallos, narrat Cæſar. L. xvii. de Bello Gall. c. II.; cum hac tamen differentia, quod Galli putabant, hominum Animas in alios tantummodo homines tranſire poſſe; Pythagoræi autem ad animalia bruta quoque Animas rationales aliquando migrare, afferebant. Phariſæi, teſte Joſepho L. xviii. cap. II. *Antiq.* hanc opinionem adoptarunt, quam etiamnum Rabinorum aliqui Secretum revolutionis appellant, cujus vi eandem Animam, quæ fuit in Adam, tranſmigraſſe dicunt in David., ex Davide in Meſſiam, qui, quamvis in terris verſetur, tamen propter hominum malitiam nondum ab aliquo cognoſcitur. Betulejus a ſomno fortaſſe nondum expergefactus iterum incoſtantiæ heic redarguit Lactantium, quod ſupra Lib. II. cap. xi, Animam hominis per traducem diffundi aſſeruerit ex D. Hieron. Apol. II. Contra Ruff. vel ſaltem in corpora potius inſinuari. Ad locum indicatum ablego Lectorem meum, & ad L. *de Opi. Dei* Cap. xix. ſeg. 2. ſeq. L. vii. cap. xii. 30. ſeq.

3.

Non putaverunt aliter fieri poſſe, ut ſuperſint animæ poſt corpora. Niſi videantur fuiſ-

fuiſſe ante corpora [a]. Par igitur, ac prope ſimilis error eſt partis utriuſque; ſed hæc in præterito falſa eſt, illa in futuro.

a *Niſi videantur fuiſſe ante corpora. Par igitur ac prope ſimilis error eſt partis utriuſque*. Notentur hæc verba ab iis, qui credunt, Lactantium docuiſſe, Animas humanas ab initio creationis fuiſſe ante homines productas, ut eum oportune vindicent ab hac calumnia, conferendo hæc cum iis, quæ alibi dixit.

4.

Nemo enim vidit, quod eſt veriſſimum, Et naſci animas, & non occidere: quia, cur id fieret, aut quæ ratio eſſet hominis, neſcierunt [a].

a *Aut quæ ratio eſſet hominis, neſcierunt*. Sic etiam Aldus. Scilicet: *Quæ eſſet hominis conditio*. Al. autem legunt: *quæ ratio eſſet, homines*, (id eſt, Stoici, ac Pythagoræi) *neſcierunt*; quam lectionem propugnat Ful. Urſinus.

5.

Multi ergo ex iis, qui æternas eſſe animas ſuſpicabantur, tanquam in cælum migraturi eſſent, ſibi ipſis [a] manus intulerunt, ut Cleanthes [b], ut Chryſippus [c], ut Ze-

a *Sibi ipſis*. Al. *ſibimet ipſis*. Al. *ſibi ipſi*. Schottus *Ipſi ſibi*. Sic Aldus corrigendum putavit.

b *Ut Cleanthes*: Bon *Luceanthes* De eo aliqua diximus L. 1. ad c. v. ſeg. 19. Laertius L. VII. ſegm. 176. ſic

Zeno [d], ut Empedocles [e], qui ſe in ardentis

ſic narrat cauſſam mortis ejus: *Tumuit illi, ac putruit gingiva; & medicis cibum interdicentibus, biduum eo abſtinuit. Ita interea convaluit, ut jam illi omnia conſueta facile permitterentur: ea tamen licentia uti noluit, ſine cibo contentus, & mori velle aſſerens, quia jam ſibi multum itineris confectum eſſe cognoſcebat*. Poſt paucos dies inedia conſumptus, mortuus eſt, anno ætatis ſuæ circitar octuageſimo, quorum novendecim Zenonem audierat. Lucianus autem in Macrobiis addit, quod quum decreviſſet inedia mori, lectis quorundam amicorum litteris ab ipſo neſcio quid poſtulantium, cibo ſumpto id præſtitit; exinde iterum abſtinens, mortem, quam diſtulerat obivit novem, & nonaginta annos natus.

c *Ut Chryſippus*. De eo quædam a nobis dicta ſunt L. I. ſeg. 20. & cap. VI. ſeg. 9. ubi pro *Chryppus* male legitur *Chriſippus*. Non una eſt apud Laertium L. VII. ſeg. 184. de ejus morte ſententia; aliqui enim putant, eum periiſſe riſu nimio diſruptum, dum Aſinum videret ficos comedentem, & vinum juberet eidem propinari; Alii autem dicunt in dulcis meri hauſtu vitam cum morte commutaſſe. Qui vero cum Betulejo, Senecam putant Epiſt. LVII. aſſeruiſſe, nimiam ſalutationem illum ad vitæ finem duxiſſe, egregie falluntur. Nam in primis ibidem Muretus legit *Criſpum*, & præterea non de vera morte in ea Epiſtola ſermo ſit. Vide quæ de eo a nobis dicta ſunt diſſ. XL. c. XV. §. iii.

d *Ut Zeno*. Scilicet Cittieus, de quo ad L. I. c. V. ſeg. 19. heic vero Cap. IV. ſeg. I. cap. VII. ſeg. 8. c. VIII. ſeg. 20. diximus. Secundum Laertium L. VII. ſeg. 28. nonageſimo octavo ætatis anno vita exceſſit, poſtquam

tis Ætnæ ſpecum intempeſta nocte dejecit, ut, quum repente non apparuiſſet, abiiſſe ad deos cre-

---

poſtquam ſine morbo aliquo ſanus ſemper vixiſſet. Perſæus autem *in ſcholis moralibus*, ſeptuaginta duos natum annos migraſſe, tradit, e vita ex eo, quod quum abiret e ſchola, ac in lapidem offendiſſet, digitum perfregit. Tunc enim, manu terram feriens, dixit illud e Niobe:

En adſum, quid me, oro, vocas?

Continuoque ſe ſtrangulavit, ac ab Atheníenſibus in Ceramico ſepultus eſt. Quare quum hæc legantur apud Laertium ubi ſupra, neſcio qua ratione dicat heic Iſæus: *Hunc quoque non ultronea, ſed ab aliis illata morte peremptum, aſſerit Laertius*. Agimus de eo luculenter diſſ. XL. cap. xv. §. 1.

e *Ut Empedocles*: De eo egimus ad lib. de Opiſ. Dei cap. xvii. ſeg. 6. De ejus morte varia referuntur a Laertio L. viii. a ſeg. 68. Noſter vero narrationem ſequitur Hippoboti qui ait: Ætnei ignis voraginem ingreſſum Empedoclem ibidem, dum famam cupit adſtruere, quod Deus eſſet effectus, conſumptum fuiſſe. Hanc de ejus morte ſententiam tam Græcis, quam Latinis placuiſſe video. Tertullianus in lib. ad Martyres, eum, tamquam exemplar proponit ad vitam contemnendam, & S. Gregorius Nazianzenus in ſuo ad Nemeſium Carmine ait:

Empedocles, faſtu tumidum te valde ſuperbo
Aetnei monſtrant crateres morte caducum.
Sandalia jactant amentis hominis æſtum
Aerea. Ridendum mortalibus illa dederunt,
Quam grave in exitium te gloria pellit inanis &c.

Adde Horat. de Arte Poet.

crederetur & ex Romanis Cato *f*, qui fuit in omni ſua vita Socraticæ vanitatis imitator *g*.

f *Ut ex Romanis Cato*. ſcilicet Cato Prætorius, Catonis Cenſorii pronepos, qui Bello civili, Pompeji partes ſecutus, eo jam devicto, exercitum per deſerta Africæ duxit, ubi Scipioni Conſulari delatum ad ſe imperium conceſſit. Uticam, quæ urbs eſt prope Carthaginem maritima, ingreſſus, filium ſuum hortatus, ut clementiam Cæſaris experiretur, ipſe, lecto Platonis libro, cui *Phædon* titulus eſt, agiturque in eo de immortalitate animæ, ſemet ipſum gladio occidit, ne victus Cæſarem victorem ſuſtineret, ut aliqui putant. Vide S. Auguſt. L. 1. *de Civ. Dei* cap. XXIII.

g *Socraticæ vanitatis imitator*. Gallæus heic pro *Socratica*, legendum cenſet *Stoicæ* adductus maxime ex eo, quod Lactantius infra dixerit, illum manus ſibi intuliſſe, *ut Stoicorum decretis obtemperaret, quos ſectabatur*. Hornius L. IV. Hiſt. Philoſ. jam dudum eodem modo hunc locum emendaverat. Ego nihil mutandum cenſeo omnibus reclamantibus codicibus, quos ipſe vidi. Nec omnino neceſſe eſt; nam quamvis Stoicus fuerit Cato, & quamvis inter Stoicorum paradoxa illud quoque ſit: *Sapiens ſeipſum, ſi ita occaſio ferat, e vita educit*; tamen inter Socraticas vanitates hanc etiam fuiſſe, conſtat ex eo, quod refert Plato in Phædone, quem antequam ſe occideret, Catonem legiſſe diximus, & infra idem Lactantius confirmat: addens, quod ad ſummum hocce nephas Socratis authoritate compulſus fuerit ipſe Cato. Socratem quippe Critoni ſibi ſuadenti, ut bibere ve-

nenum aliquantulum differret, reſpondiſſe, teſtis eſt Plato, qui præſens erat: *Nihil me lucraturum arbitror ſi paullò tardius venenum bibero; præterquam quod ridendum me propinem, quod nimia vitæ teneat cupiditate, & parcam ei, quod meum amplius non eſt.* Adde quæ ſequuntur, & nobiſcum eſſe legandum judicabis.

6.

Nam Democritus [a] in alia fuit perſuaſione. Sed tamen:

Sponte ſua letho[b] *caput obvius obtulit ipſe*, quo nihil ſceleratius fieri poteſt. Nam ſi homicida nefarius eſt, quia hominis extinctor eſt: eidem ſceleri obſtrictus eſt, qui ſe necat, quia hominem necat. Imo

a *Nam Democritus*: De eo aliqua notavimus ad L. I. cap. 2. ſeg. 2. De morte autem illius diſcrepant Scriptores; ſed ultra Lucretium heic a Lactantio laudatum, ſic de ejus voluntaria morte loquitur Atheneus L. II. *Democritum Abderiten ob tedium ſenectutis, quum mortem ſibi conſciſcere decreviſſet, fama eſt, de quotidiano cibo aliquid detrahentem, inſtantibus jam feſtis diebus Theſmophoriorum, rogantibus domeſticis mulieribus, ne per id celebritatis tempus moreretur, ſibi ut liceret ſolennes, ac feſtivos illos dies agere, annuiſſe, & Mellis vas ſibi juſſiſſe proprius admoveri; atque ſic in multos dies vitam prorogaſſe ſolo mellis odore;* quo tamen remoto, tandem inedia, ſua ſponte occubuit. Ita etiam Phlegon, & Lucianus de eo referunt, quamvis Laertius, & Marcus Antoninus Imperator diverſa narrent de ejuſdem Democriti Mortis genere. Vide diſſ. VI. cap. XVII. §. V.

b *Sponte ſua letho* &c. Lucr. L. III. ỿ. 1054.

7.

Imo vero majus eſſe id facinus exiſtimandem eſt, cujus ultio ſoli Deo ſubjacet. Nam ſicut in hanc vitam non noſtra ſponte venimus [a]: ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum eſt, ejuſdem juſſu nobis recedendum eſt; qui nos in hoc corpus induxit, tandiu habitaturos, donec jubeat emitti. Et ſi vis aliqua inferatur, æqua mente patiendum eſt [b], quum extincta innocentis anima [c] inulta eſſe non poſſit, habeamuſque judicem magnum [d], cui ſoli

L 2 vin-

a *Nam ſicut in hanc vitam. Plato in Phædone Cicero in Tuſculan; Et in ſomnio Scipion.* apud Macrob. eandem ſententiam explicant, quos conſule, ſi lubet.

b *Aequa mente paciendum eſt.* Al. *ferendum*, quod tamen Anglorum plerique quum ſibi perſuadere nolint, mori potius eligunt, quam adverſa pati. Impatientiam hanc, ſive melius furorem, morbum eſſe tradit D.de Secondat L.iv. c.xii. *De l'eſprit des Loix* V. Diſſ. xxviii. 4. ſ. 19.

c *Quum extincta innocentis anima* &c. Heic etiam Anima pro vita ſumitur a Lactantio, ut ſupra jam notavimus. Adde L. vi. cap. xi. 19. c. xx. 11. & L. vii. cap. xi. 2.

d *Habemuſque judicem magnum.* Al. pro *judicem* legunt *vindictam: quia ſequitur*, inquit Walchius *vindicta*; ſed male; nam Judicem vindictam violatæ legis decet, quamquam non homini cuique vindicem ſui, aut judicem alterius eſſe licet.

vindicta in integro [e] ſemper eſt.

e *In integro*. Al. *integra*. Cicer. in Ver. IV. *quum tibi in integro res ſit* &c. Idem de Oratore L. III. Et alibi ſæpe. Idem valet ac *in poteſtate eſſe*. Nobiſcum legit Schottus.

8.

Homicidæ igitur illi omnes philoſophi, & ipſe Romanæ ſapientiæ princeps Cato [a]: qui antequam ſe occideret, perlegiſſe Platonis librum dicitur, qui eſt ſcriptus *de æternitate animarum* [b], & ad ſummum nefas philoſophi authoritate compulſus eſt [c]: & hic tamen

a *Romanæ Sapientiæ Princeps Cato*: Ejus quippe conſilium, ut oraculum a Romanis habebatur, teſte Plutarcho in ejus vita, in qua hæc eadem leguntur. Adde Florum L. IV. cap. II. n. 69.

b *De Æternitate Animarum*. Hic idem liber *Phædon* etiam, ſive *de Animo*, ſeu *de Animi immortalitate* inſcribitur. Cicer. L. I. *Q.* Tuſc. de eo meminit.

c *Ad ſummum nephas Philoſophi authoritate compulſus eſt*: Scilicet Platonis, qui quamvis mortem voluntariam damnare, & execrari videatur in Phædone ex Socratis ſententia; tamen eum ita loquentem inducit, ut abſurdum videatur, ſi his, quibus præſtat mori, non liceat ſibi prodeſſe, ſe met ipſum occidendo; *Quamvis enim nephas ſit ſibi manus inferre*, inquit Socrates, *decet tamen id facere, quum Deus neceſſitatem aliquam inpoſuerit*; *qualem ſibi imponi* in præſentia arbitrabatur; quam neceſſitatem etſi ipſe, po-

men aliquam moriendi cauſſam videtur habuiſſe, hodium ſervitutis [d].

potuiſſet, ſe ab impacto crimine purgando, propulſare, noluit tamen; putans ſibi melius eſſe mori, quam vivere diutius.

d *Aliquam moriendi cauſſam videtur habuiſſe; odium ſervitutis*. Cicero L. 1. Offic. hoc Catonis gravitatem decuiſſe maxime aſſeruit; erravit tamen ut ſapientiſſime oſtendit S. Auguſtinus L. 1. *de Civit. Dei* cap. XXIII. oſtendens, potius imbecilli, quam fortis animi hocce facinus fuiſſe.

9.

Quid Ambraciotes [a] ille, qui, quum eundem librum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit nullam aliam ob cauſſam, niſi quod Platoni credidit? Execrabilis prorſus, ac fugienda doctrina, ſi abigit homines a vita.

 Quod

a *Ambraciotes*: Bon. *Ambrachiotes*. Is eſt *Cleombrotus*, quem infra idem Lactantius expreſſo nomine appellat; dictus etiam eſt *Ambracionites* ab urbe natali; ſicut Firmianus a Firmio: Ambracia enim Urbs eſt in Epiro ad receſſum ſinus Ambracii a Nicopoli, & Actio urbibus XXV. millibus paſſuum diſtans, vulgo *Ambrachia*. Olim fuit ſatis ampla, & potens; At macedonum, & Romanorum bellis deinde labefactata, & everſa eſt. Cicero L. 1. Tuſ. quæſt. ait: *Callimachi Epigramma in Ambraciotam Cleombrotum eſt, quem, ait, quum nihil ei accidiſſet adverſi, e muro ſe in mare abjeciſſe, lecto Platonis libro*: Ubi Cellarius notat, quod Epigramma heic laudatum extat ſub n.

n. xxiv. in edit. Thom. Grævii; ſub num. xxviii. in edit. Annæ Tanaquilli &c. Vide Fabricium Bibl.Græc. L. III. cap. 1. n. iv.

10.

Quod ſi ſciſſet Plato [a], atque docuiſſet, a quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur, nec Cleombrotum [b] impegiſſet in mortem voluntariam, nec Catonem: ſed eos ad vitam, & ad juſtitiam potius erudiſſet.

---

a *Quod ſi ſciſſet Plato* &c. Non ita profecto diſputantem Socratem de Animæ immortalitate, ac de beatitudine in eo libello induxiſſet; aut certe facile potuiſſet ea diſſolvere argumenta, quibus ille eam ſibi feliciſſimam pollicebatur, neſciens a quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta beata immortalitas tribuatur, ut bene de Platone inquit ſtatim Lactantius, heic perperam ab Iſæo, aliiſque vellicatus, tamquam Philoſophi mentem non aſſecutus.

b *Nec Cleombrotum* Bon. *Theombrotum*. Al. *Theoſbrotum forte*, inquit Bunem., *vox falſa inde orta, quod Ambrocia Urbs* THESPROTIÆ eſt, *de qua Stephanus de Urbibus. Extat rara diſſertatio Petri de la Sena h. i. CLEOMBROTUS; SIVE DE IIS, QUI IN AQUIS PEREUNT Romæ excuſa apud Facciott.* 1637. 8. Iſte autem Cleombrotus ille juvenis eſt, quem a Patria civitate paullo ſupra a Lactantio vocatur *Ambraciotes*, cui quum omnis cauſſa mortis deeſſet, defuiſſe quoque dicendum eſt plenam Socratici dogmatis notitiam, ut bene innuit Callimacus in Græco Epigrammate, quod ſic latine ſe legiſſe meminit Ludov. Vives.

Vita

Vita vale, muro præceps delapſus ab alto:
Dixiſti moriens Ambraciota puer.
Nullum in morte malum credens; ſed ſcripta Platonis
Non ita erant animo percipienda tuo.

De eo S. Auguſt. L. 1. *de Civ. Dei* cap. XXII.

11.

Nam Cato videtur mihi cauſſam quæſiſſe moriendi, non tam ut Cæſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret [a], quos ſectabatur, nomenque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret [b], cui quid mali accidere potuerit, ſi viveret, non invenio.

a *Stoicorum decretis obtemperaret*: Ex Laertio L. VII. ſeg. 130. Stoicos docuiſſe ſcimus, ſapientem ob juſtas cauſſas ſua ſponte poſſe vitam abrumpere. Errorem hunc refellimus diſſ. XXVIII. cap. IV. §. XIX.

b *Clarificaret*: Hanc vocem Walchius, ut Eccleſiaſticam notat, & ad Sedulium provocat. Ea utuntur S. Cyprianus, & Tertullianus ex Bunem., qui *ſubſiſtunt*, inquit, *Lexica in Lactantii auctoritate*. Verum tamen Nicolaus Perottus *in Cornuc.* L. L. optime verbum hocce ſic derivari poſſe docet: *A clarus fiunt compoſita: clarifico, quod ſignificat: illuſtro: a quo Clarificator* &c.

12.

Cajus enim Cæſar, ut clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipſo belli civilis ardore, quam, ut bene mereri de Republica videretur, duobus optimis civibus,

Cicerone & Catone, ſervatis. Sed redeamus ad eos, qui mortem pro bono laudant.

13.

De vita quereris: quaſi vixeris, aut unquam tibi ratio conſtiterit, cur omnino ſis natus, Nonne igitur tibi unus ille [a], & communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit?

Prius diſce, quid ſit vivere.
Si diſplicebit vita, tum iſthoc utitor.

---

a *Unus ille*, Al. *verus ille*. Heic etiam Aldus nobiſcum legit. Al. *Non igitur.*

14.

Indignaris te malis eſſe ſubjectum: quaſi quicquam merearis boni, qui patrem, qui dominum, qui regem tuum neſcis: qui quamvis clariſſimam lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es [a], & in profundis ignorantiæ tenebris jaces: quæ ignorantia effecit [b], ut quoſdam dicere non puderet, iccirco nos eſſe natos, ut ſcelerum pœnas lueremus, quo quid delirius [c] dici poſſit, non video. Ubi

---

a *Mente tamen cæcus es... Jaces*: Bon. *Mens tamen cæca eſt.... Jacet*. Ob ea, quæ præcedunt lectionem ſequor aliorum, quæ elegantior eſt; & Lactantianæ dictioni conformior. Aldus cum Bon. facit.

b *Quæ ignorantia effecit*: Sic etiam Aldus. Al. ſecundam vocem omittunt. Al. *efficit*.

c *Quo quid delirius... non video*. Al. *non invenio*. Aldus nobiſcum legit.

15.

Ubi enim, vel quæ ſcelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? Niſi forte credamus inepto illi ſeni [a], qui ſe in priori vita Euphorbum fuiſſe mentitus eſt. Hic credo, quod erat ignobili genere natus [b], familiam ſibi ex Homeri carminibus adaptavit.

---

a *Inepto illo ſeni*: Intellige Pythagoram, qui primus animarum tranſmigrationem invexiſſe dicitur, ex uno in aliud corpus; Vide Laert. L. VIII. ſeg. 4. Clearchus, & Dicæarcus apud Gellium L. IV. c. II. tradiderunt, Euphorbum primo ſe dictitaſſe Pythagoram, poſtea Pyrandrum, deinde Callicleam, denique fæminam pulchra facie, & meretricem, nomine Alcen. Adde Ovid. Metam. L. XV. a ỷ. 153. Homer. in Iliad. P. Hygin. Fab. CXII.

b *Hic credo quod erat ignobili genere natus*. Hermippus apud Laertium L. VIII. ſeg. I. eum filium fuiſſe tradit Mneſarchi, annulorum ſculptoris. Ubi Aldobrandinus notat, neminem præter Laertium hoc narraſſe; ac potius Patre mercatore natum, ex quodam Ms. libello dicendum aſſerit; nec deſunt, qui Patrem ejus Marmachum fuiſſe dicant, Hippaſum avum, atavum Eutyphronem, & Cleonium abavum, qui Phliunte profugerit. Vide Laert. L. c., & diſſ. XI. cap. XV. ſ. I.

16.

O miram, & ſingularem Pythagoræ memoriam! O miſeram oblivionem noſtrum omnium, qui neſciamus, quid ante fuerimus! Sed fortaſſe vel errore aliquo, vel

gra-

gratia ſit effectum, ut ille ſolus lethæum gurgitem non attingerit, nec oblivionis aquam guſtaverit, videlicet ſenex vanus (ſicut otioſæ aniculæ ſolent) fabulas tanquam infantibus credulis finxit.

17.

Quod ſi bene ſenſiſſet de iis, quibus hæc locutus eſt, ſi homines eos exiſtimaſſet, nunquam ſibi tam petulanter mentiendi licentiam vindicaſſet, ſed deridenda eſt [a] hominis leviſſimi vanitas [b].

a *Sed deridenda eſt*: Al. Tò *eſt* omittunt. Aldus nobiſcum eam reſtituit.

b *Hominis leviſſimi vanitas*: Aldus: *leviſſima*.

18.

Quid de Cicerone faciemus [a]? qui quum in principio conſolationis ſuæ dixiſſet: *luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines*: iteravit id ipſum poſtea, quaſi objurgans eum, qui vitam non eſſe pœnam putet [b]: recte ergo

a *Quid de Cicerone faciemus?* Sic etiam Schottus. Al. *quid Ciceroni* Al. *quid Cicerone*. Aldus legit nobiſcum.

b *Qui vitam non eſſe pœnam putet*. Al. *qui vitam non eſſe malis plenam putet*: Al. *qui vitam non eſſe plenam putet*: Hinc error ſubortus, ut adderent *malis*.

go præfatus eſt [c], errore, ac miſerabili veritatis ignorantia ſe teneri [d].

c *Recte ergo præfatus eſt*. Sic etiam Aldus Al. *profatus* Al. *profeſſus*. Idem Aldus hanc quoque lectionem indicat.

d *Veritatis ignorantia ſe teneri*, Hiſce verbis Iſæus, Gallæus, Walchius, Heum. Bunem. Langletius, aliique antiquiores nonnulli hocce caput nobiſcum abſolvunt; at Thomaſius, Urſibus. Schottus, Thyſius, Cantabrigenſis, & aliiqui pauci ulterius id protrahunt. Aldus *nulla hic*, ait; *Capitis ſit diſtinctio in utroque Cod.*

C A P. XIX.

1.

AT illi, qui de mortis bono diſputant, quia nihil veri ſciunt, ſic argumentantur: *Si nihil eſt poſt mortem, non eſt malum mori, aufert enim ſenſum mali. Si autem ſuperſint [a] animæ, eſt etiam bonum, quia immortalitas ſequitur*,

a *Superſint*. Al. *ſemper ſunt*. Al. *ſuperſunt*.

2.

Quam ſententiam Cicero de legibus ſic explicavit: *Gratulemurque [a] nobis, quoniam mors aut meliorem [b], quam qui eſt in vita*,

a *Gratulemurque*. Al. *Gratulamurque*.

b AUT MELIOREM. Iſæus aut *livorem*: Omnino prave.

vita, aut certe non deteriorem allatura eſt ſtatum. Nam ſine corpore[c], *animo vigente, divina eſt vita: ſenſu pereunte*[d], *nihil profecto eſt mali.*

c NAM S NE CORPORE: Al. *Nam ſi ſine corpore*.
d SENSU PERE NTE. Al. *ſenſu carenti*: Bun. *ſenſu carente* ſcilicet: *animo*. Aldus nobiſcum legit.

3.

Argute, ut ſibi videbatur[a], quaſi nihil eſſe aliud poſſit. Atqui utrumque hoc falſum eſt. Docent enim divinæ literæ non extingui animas, ſed aut pro juſtitia præmio affici[b], aut pæna pro ſceleribus ſempiterna,

a *Ut ſibi videbatur* Bon. & Aldus: *ut ſibi videntur*, Al. *ut ſibi videtur*. Alii ſtatim addunt: *locutus eſt*.

b *Aut pro juſtitia præmio affici* &c. Gallæus de more nos hiſce verbis compellat. *Hæc notanda ſunt Papicolis adverſus commentitium illud Purgatorium, in quo animas igne purgari dicunt. Certe ſi hoc Lactantius ſtatuiſſet, ſic non fuiſſet locutus*: quid de Purgatorio Igne, ſenſerit Lactantius ex alio Calviniſta, cujus verba idem Gallæus refert in ſuis commentariis ad Authorem noſtrum, viſuri ſumus ad L. VII. c. 21. Interea Lectores noſtri perpendant quam male Gallæus inferat, non eſſe Purgatorium ex Lactantii mente, quoniam Animæ aut præmio, aut ſupplicio afficiuntur poſt mortem æterno, prout heic dicit idem Author; Nam ſecundum Lactantii ſententiam non ſtatim hoc fieri poterat poſt ſeparationem Animæ a corpore, utpote quia idem ipſe erravit docendo, Animas non ſtatim judicari poſt mortem; ſed in com-

communi aliqua cuſtodia detineri. Vide quæ ipſe dicit loco ſupra citato, & inde collige Gallæum non ſenſa Lactantii illuſtrare voluiſſe, ſed potius proprios errores incautis propinare, atque in Romanam Eccleſiam convicia, & calumnias invehere ſtuduiſſe.

4.

Nec enim fas eſt, aut eum, qui [a] ſceleratu in vita fuerit [b], effugere, quod meretur: aut eum, qui ob juſtitiam miſerrimus fuerit, ſua mercede fraudari.

---

a *Nec enim fas eſt, aut eum, qui*: Sic etiam Aldus Al. *fas eſt autem eum, qui* &c.

b *In vita fuerit*. Al. *feliciter fuerit*.

5.

Quod adeo verum eſt, ut idem Tullius in *Conſolatione*, non eaſdem ſedes [a] incolere juſtos, atque impios, prædicaverit.

---

a *Non eaſdem ſedes*: Sententia, quam heic refert Lactantius in fragmentis ſolummodo reperitur iiſdem verbis expreſſa; at diverſis ſæpe reperitur in operibus Ciceronis, & præcipue L. I. *Tuſcul.* quæſt., & in eo quem ſub ejus nomine de *Conſolatione* inſcribunt.

6.

Nec enim omnibus, inquit, *iidem illi ſapientes arbitrati ſunt, eundem curſum in cælum patere: nam vitiis, & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cæno jacere docuerunt: caſtos autem animos, pu-*

puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos, levi quodam & facili lapſu ad deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem pervolare.

7.

Quæ ſententia ſuperiori illi argumento repugnat. Illud enim ſic aſſumptum eſt, tanquam neceſſe ſit, omnem hominem natum immortalitate donari [a].

a *Omnem hominem natum immortalitate donari.* Intellige beatitate, ut vim habeat ſequens argumentum.

8.

Quod igitur erit diſcrimen virtutis, ac ſceleris, ſi nihil intereſt, utrum ne Ariſtides ſit aliquis, an Phalaris [a]? utrum Cato, an

a *Utrumne Ariſtides ſit aliquis, an Phalaris:* Contraponit heic viro inſtiſſimo Tyrannum; Ariſtides enim optimus reipublicæ Athenienſis adminiſtrator fuit, cujus laudes recenſuerunt in vita illius Plutarchus, & Cornelius Nepos. Vide etiam Herodot. L. VIII., & Valer Max. L. VI. c. V. Phalaris autem Agrigentinorum Tyrannus maxime crudelis extitit, qui tauro æneo a Perillo Athenienſi fabricato, viventes homines includebat, ut quum ſubjectis ignibus conclamarent, mugitum, & non hominum voces Taurus videretur emittere. In eodem prius a Tyranno includi juſſus eſt inventor ejus Perillus, & tandem a ſuis ipſemet Phalaris incluſus, & crematus fuit. Infra iterum de eo c. XXVI. 7. & XXVII. 5.

an Catilina [b]? Sed hanc repugnantiam [c] rerum, ſententiarumque non cernit [d], niſi qui tenet veritatem.

b *Vtrum Cato an Catilina*: eadem figura loquitur Græcis addens Romanos; Cato enim alter Ariſtides fuit, Catilina vero, etſi non Tyrannus Phalaridi comparandus, peſſimus tamen Civis, contra qnem Cicero quatuor coram Senatu graviſſimas habuit orationes. Bon. *Vtrum Cato Catilina*.

c *Sed hanc repugnantiam*: Bon. *Sed hæc repugnantia*.

d *Non cernit*. Al. *non ſentit*.

9.

Siquis igitur nos interroget [a]: utrum ne bonum ſit mors, an malum: reſpondebimus, qualitatem ejus ex vitæ ratione pendere. Nam ſicut vita ipſa bonum eſt, ſi cum virtute vivatur: malum, ſi cum ſcelere: ſic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda eſt.

a *Nos interroget*. Al. *roget*.

10.

Ita fit, ut ſi vita in Dei religione tranſacta ſit, mors malum non ſit: quia translatio eſt ad immortalitatem. Sin aliter [a], malum ſit neceſſe eſt, quoniam ad æterna (ut dixi) ſupplicia tranſmittit.

Qnid

a *Sin aliter*: Bon. *ſin autem*. Sic etiam Aldus.

11.

Quid ergo dicemus, niſi errare illos, qui aut mortem appetunt, tanquam bonum: aut vitam fugiunt, tanquam malum? Niſi quod ſint iniquiſſimi, qui pauciora mala non penſant [a] bonis pluribus.

a *Non penſant*. Al. *compenſant*. Aldus noſtram eligit lectionem.

12.

Nam quum omnem vitam per exquiſitas, & varias traducant voluptates mori cupiunt, ſiquid forte his amaritudinis ſupervenit [a] & ſic habent, tanquam illis nunquam fuerit bene, ſi aliquando fuerit male. Damnant igitur vitam omnem, plenamque nihil aliud, quam malis opinantur.

a *Supervenit*. Al. *ſupervenerit*.

13.

Hinc nata eſt inepta illa ſententia [a]: *hanc eſſe mortem, quam nos vitam putemus: illam vitam, quam nos pro morte timeamus: ita primum bonum eſſe, non naſci, ſecundum, citius mori.* Duæ

a *Inepta illa ſententia* Scilicet Euripidis, cujus verſus ſervavit Origenes contra Celſum L. VII.

Τις οιδεν, ει το ζην μεν ισι κατθανειν
Το κατθανειν δε ζην;

Vide etiam eundem Eurip. Troad. ℣. 631. & ſeq. Apud Stobeum Serm. 121., & Ariſtoph. *in Ranis* &c.

14.

Quæ, ut majoris ſit autoritatis, Sileno attribuitur.[a] Cicero ſic in Conſolatione: *Non naſci*[b], inquit, *longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: Proximum autem, ſi natus ſis, quam primum mori*[c], *& tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ*[d].

---

a *Sileno attribuitur*. Plutarchus *in Conſol* ad Apollon. xx Ariſtotel. in *Eudemo*, ſive libro *de Animo* verba tefert, quæ Silenus quum a Mida in venatione captus eſſet, & interrogatus; *Quid nam homini optimum, maximeque expetendum eſſet?* Reſpondit: *Omnium optimum eſt non naſci; Præſtat autem mori, quam vivere*. At Cicero *L.* I. *Tuſc. quæſt. Hoc ei muneris*, inquit, *pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur: docuiſſe regem: non naſci homini longe optimum eſſe; proximum autem, quam primam mori*. Ælian. L. III. cap. XVIII. V. H. colloquium Midæ, & Sileni narrat; ſed de hac ſententia nec verbum habet. De Sileno vide ad L. I. cap. XXI. 25.

b NON NASCI, inquit, LONGE OPTIMUM &c. De hac ſententia diſputant Vinetus, & Tollius ad Auſonii Edyll. xv. & Philoſophorum plurimi in Metaphyſicis. Nos propugnamus, quod abſolute loquendo, melius eſt eſſe, quam non eſſe; quamvis relate ad aliquos homines, melius fuiſſet non eſſe quam eſſe; Unde Chriſtus Dominus de Juda proditore ait: Matth. XXVI. ℣. 24. *Bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*.

c QUAMPRIMUM NORI, ET &c. Bon. Tò *mori &* non habet.

d VIOLENTIAM FORTUNÆ: Bon. non habet VIOLENTIAM.

Crediđiſſe illum vaniſſimo dicto exinde apparet, quod adjecit aliquid de ſuo, ut ornaret.

15.

Quæro igitur cui eſſe optimum putet non naſci, quum ſit nullus omnino, qui ſentiat? nam, ut bonum ſit aliquid, aut malum, ſenſus efficit.

16.

Deinde cur omnem vitam aliud nihil eſſe, quam ſcopulos, aut incendium putavit [a], quaſi aut in noſtra fuerit poteſtate, ne naſceremur, aut vitam nobis fortuna tribuat, non Deus, aut vivendi ratio quicquam ſimile incendio habere videatur?

---

a *Aut incendium putavit*. Sic Aldus. Al. *& incendium putaverit*.

17.

Non diſſimile Platonis illud eſt, quod ajebat: *ſe gratias agere* [a] *naturæ: Primum, quod homo natus eſſet potius quam mutum animal: Deinde, quod mas potius* [b] *quam fœmi-*

---

a *Se gratias agere*. Vide *de Opif. Dei Cap. III. ſeg.* 19. Hæc hiſtoria habetur ex Plutarcho *in Mario* prope finem.

b *Quod Mas potius*. Sic etiam Aldus. Al. *Maſculus*. Hebræi nonnulli hunc retinent morem ſic gratias Deo in precibus ſuis habendo: *Benedictus eſto, Domine Deus, quod me virum creaſti. non mulierem:* quod

mina: quod Græcus, quam Barbarus. Poſtremo quod Athenienſis [c], *& quod temporibus Socratis.*

quod Iſraelitam, non alienigenam. Vide Scuudt. Trifol. *Ebræor. Philol*

c *Poſtremo quod Athenienſis.* Al. addunt *non Tebanus* quam lectionem Walchius propugnat; alii vero, ut gloſſema reiciunt, & merito, ut oſtendit Bunem. ex contextu, & ex Plutarcho.

18.

Dici non poteſt, quantam mentibus cæcitatem, quantoſque pariat errores ignoratio veritatis. Ego plane contenderim, nunquam quicquam dictum eſſe [a] in rebus humanis delirius. Quaſi vero ſi aut barbarus, aut mulier, aut aſinus denique natus eſſet, idem ipſe Plato eſſet, ac non ipſum illud, quod natus fuiſſet [b]?

 Sed

a *Nunquam quicquam dictum eſſe* &c. Gallæus, immerito heic ait, Lactantium taxare Platonem, qui ſententiam hanc accepiſſe a Socrate, Socrates autem a Thalete videntur. Non intelligens rationem quam ſtatim Lactantius affert. Quare iis omnibus quadrant, quæ Tertullianus dixit L. de Anima cap. VI. *Enormis Philoſophiæ intentio: ſolet plerumque nec proſpicere pro pedibus.*

b *Ac non illud ipſum, quod natus fuiſſet.* Al. pro *natus* habent *natum*: ſed male: Sic lib. V. c. 9. *immemor quid nati eſſent*. Vide Gronov. in obſervatis apud Script. Eccl. cap. I. ubi hanc dicendi formulam

lam ſæpe ab Ambroſio uſurpatam reperies. &c. nobiſcum legunt Heum. & Bunem.

19.

Sed videlicet Pythagoræ [a] credidit, qui ut vetaret homines animalibus veſci [b], dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare [c]; quod & vanum, & impoſſibile eſt [d]. Vanum, quia neceſſe non fuit:

a *Sed videlicet Pythagoræ credidit*. Platonem Pythagoræ doctrinam ſecutum fuiſſe, teſtantur Auguſtinus in lib. de Doctrina Chriſtiana. S. Ambroſius libro edito contra Platonem, cujus verba recitat idem Auguſt. L. v. contra Julianum, & Tzetz. Chil. 11. *Variar. Hiſt.* Vide Menagium ad Lib. III. Laertii ſegm. 6. ubi Appulejum, S. Hieronym. Ciceronem, alioſque refert hujus ſententiæ authores.

b *Animalibus veſci*. Vide Walchium ad lib. xv. Metamorph. Ovidii fab. 11., ad quem locum ipſe te ablegat. Sed me hortante vide Cocchium noſtrum: de Victu Pythagorico.

c *Corpora commeare*. Sic Minuc. Felix. c. XXXVII.

d *Quod & vanum, & impoſſibile eſt*. Voſſius apud Gallæum, & Langletium, *videtur*, inquit, Lactantius, *aliter ſenſiſſe de animis impiorum*; *ut in quos poteſtatem habeat ſpiritus malignus*; *unde in arte magica verti poſſint in Lupos*. *Cujuſmodi converſionem non ſolum agnoſcunt Maro Eclog.* IX. *& Poetarum alii*: *ſed Plinius quoque* L. VI. c. XXII. &c. Ratio autem, quare hoc ſenſiſſe videatur Lactantius, ea eſt, quia dixit: *Impoſſibile*: *quia rectæ rationis anima* &c. Quaſi diverſam naturam ſecundum Lactantium habeant ani-

fuit, veteres animas in nova corpora inducere, quum idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit ſemper novas facere e: impoſſibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam ſtatus ſui non poteſt, quam ignis aut deorſum niti, aut in tranſverſum, fulminis modo, flammam ſuam fundere f.

animæ vitiis obnoxiæ ab illis, quæ ſunt virtutibus præditæ: & idem eſſet *recta ratio*, ac *pius animus*. Vide Diſſert. noſtram XXV. cap. VII. §. XIX.

e *Potuerit ſemper novas facere*. Verba notanda contra eos, qui putant, Lactantium in eo errore fuiſſe, quo plurimi crediderunt innumerabiles animas a Deo ab initio fuiſſe creatas, quas deinde corporibus ſucceſſive infundebat.

f *Aut in tranſverſum, fulminis modo, flammam ſuam fundere*. Bon. pro *fulminis* habet *fluminis*: quam lectionem editi aliqui ſervant libri, nec non Mss. ſed pauci. Ratio quare eam non ſequor eſt, quia ſicuti natura ignis eſt ſurſum niti, ſic aquæ natura eſt in declives tramites delabere, ut jam ſupra notavimus. Fulminum autem obliquitas manifeſta eſt. tam ex illo Matth. XXIV. ℣. 27. *Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret uſque in occidentem*. Quam ex illo Senecæ in lib. *de Conſol. ad Marciam* c. XVIII. *Miraberis collecta nubila, & cadentes aquas, & obliqua fulmina*. Ubi Juſtus Lipſius rationem reddit. *Quod ignea illa natura altum petit, vis & eliſio deorſum agit. Ergo in latus, utrique cauſſæ obſecut a FULMINA feruntur*. Adde Lucret. L. VI. Ubi plurima de fulminibus per tranſverſos imbres volantibus & Richter. *De Natalibus Fulminum*. Al. *in fulminis modum*.

20.

Exiſtimavit ergo homo ſapiens [a], potuiſſe fieri, ut anima, quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur, eſſetque humano ſenſu prædita, ut intelligeret, ac doleret, incongruenti ſe corpore oneratam.

a *Homo ſapiens*. Sic ironice, ut infra Cap. xx. & xxii.

21.

Quanto ſanius faceret, ſi gratias agere ſe diceret, quod ingenioſus, quod docilis natus eſſet, quod in iis opibus, ut liberaliter erudiretur.

22.

Nam quod Athenis natus eſt, quid in eo beneficii fuit? An non plurimi extiterunt in aliis civitatibus excellenti ingenio, atque doctrina viri, qui meliores ſinguli, quam omnes Athenienſes fuerunt?

23.

Quanta hominum millia [a] fuiſſe credamus, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen, ac ſtulti fuerint [b]? Non enim aut

a *Quanta hominum millia* : *Quanta*, pro *quot*. Sic infra L. v. Cap. xiii. 2. Propugnavimus, & illuſtravimus hanc dictionem ad L. i. Cap. III. ſeg.21. *Tantarum rerum*.

b *Et ſtulti fuerint*. Al. *fuerunt*.

aut parietes, aut locus, in quo quiſque eſt effuſus ex utero, conciliat homini ſapientiam.

24.

Quid vero attinuit [a], Socratis ſe temporibus natum gratulari [b]? Num Socrates ingenia diſcentibus potuit commodare [c]?

---

a *Quid vero attinuit*. Sic reſtituo ex pleriſque omnibus Mss. Cod. & libris editis, ubi Bon. & Aldus legunt. *Quod vero addidit*.

b *Socratis ſe temporibus natum gratulari*? Al. *gloriari*? gratulor auem heic valet: *gratias agere*: Vide Sypontinum. Al. *Gratulor*.

c *Ingenia potuit commodare*. Al. *ingenia potuit dare*.

25.

Non venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoque, & Critiam [a] ejuſdem Socratis aſſiduos auditores fuiſſe, quorum alter hoſtis patriæ acerrimus fuit, alter crudeliſſimus omnium tyrannorum.

---

a *Alcibiadem quoque, & Critiam* &c. Lactantius heic Ciceronem ſequi videtur, qui L. *de Orat.* ait: *Quid Critias? Quid Alcibiades? Civitatibus quidem ſuis non boni, ſed certe docti, atque eloquentes, nonne Socraticis diſputationibus erant eruditi?* Alii enim inter ſe diſcrepant authores. Iſocrates *in Buſirid.* Negat, Alcibiadem diſcipulum Socratis fuiſſe, quod affirmant Xenophon L. 1. *Memorab. Socrat.* & Cornel. Nepos *in Alcib.* quamvis hi negent, Alcibiadem ho-

hoſtem Patriæ fuiſſe. At certum eſt, Lacedemonios impuliſſe, Athenienſibus, adverſo prælio turbatis, ultro bellum inferre, qui non magis Athenis ipſis, quam Civibus earum, Juſtino teſte L. v. c. 1. pepercifſent, niſi ipſe injuriam, uti putabat, ſibi illatam, alienis armis, ſuoque ductu vindicatum iviſſet; quare falſum eſt, puod ipſe prædicare conſueverat: *Se non adverſus Patriam, ſed inimicos ſuos arma moviſſe*. Videndus de utroque Plutarchus.

C A P. XX.

1.

Videamus nunc, quid in Socrate [a] ipſo tam magnum fuerit, ut homo ſapiens merito gratias ageret, illius ſe temporibus eſſe natum [b].

a *Videamus nunc, quid in Socrate &c.* Ab hiſce verbis caput XIX. incipit apud Thomaſium, alioſque, quos ſupra recenſuimus.

b *Illius ſe temporibus eſſe natum*. Al. *illis temporibus*. In Bon. pronomen ſe non legitur.

2.

Non inficior, fuiſſe illum paullo cordatiorem [a], quam cæteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio poſſe comprehendi [b]. In quo

a *Cordatiorem*. Id eſt *ſapientiorem*. Hocce comparativum probavit Falſter: *ſuppl. linguæ latin.* p. m. 96., quod notavit etiam Bunem.

b *Ingenio poſſe comprehendi*: In hoc maxime errarunt

quo illos non excordes tantum fuiſſe arbitror, ſed etiam impios, quod in ſecreta cæleſtis illius providentiæ c, curioſos oculos voluerint immittere.

runt antiquiores philoſophorum plerique, quos ævi noſtri philoſcii ſequuntur, utpote qui ad rerum naturas intime noſcendas ſemet ipſis ducibus uti conſueverunt. Vide Auguſt. L. XVIII. de Civit. Dei Cap. XLI. & confer cum his, quæ in Iſagoge noſtra diximus §. XV. ſeq.

c *Cæleſtis illius providentiæ:* Vide quæ a nobis dicta ſunt ab Lib. de Opif. Dei Cap. III.

3.

Romæ, & in pleriſque urbibus a ſcimus eſſe quædam ſacra, quæ aſpici a viris nefas habeatur. Abſtinent igitur aſpectu, quibus contaminare illa non licet: & ſi forte vel errore, vel caſu quiſpiam vir aſpexerit, primo pæna ejus, deinde inſtauratione ſacrificii ſcelus expiatur.

a *Romæ & inpleriſque Urbibus*. Pro *Urbibus* Iſæus habet *Cordibus*. Intellige Sacra Cereris, Veſtæ, & Bunæ Deæ de quibus ad L. I. cap. XXII. ſeg 11. & ad L. II. cap. IV. diximus, & mox cum Authore noſtro dicturi ſumus.

4.

Quid his facias, qui inconceſſa ſcrutari volunt? Nimirum multo ſceleratiores ſunt, qui

qui arcana mundi [a], & hoc cæleſte templum [b] prophanare impiis diſputationibus quærunt, quam qui ædem Veſtæ, aut Bonæ deæ, aut Cereris [c] intraverint. Quæ penetralia [d], quam-

---

a *Arcana Mundi*; Ea nempe, quæ ſibi Deus reſervavit, nec noſtris viribus aſſequi poſſumus.

b *Qui arcana Mundi, & hoc cæleſte templum* Macrob. in Som. Scipionis. *Bene autem*, inquit, *univerſus Mundus, Dei templum vocatur propter illos, qui exiſtimant nihil allud eſſe Deum, niſi Cælum ipſum, & Cæleſtia iſta quæ cernimus. Ideo ſummi potentiam Dei oſtenderet, poſſe vix intelligi, numquam videri; quidquid humano ſubjicitur aſpectui, templum ejus vocavit, quod ſola mente conſpicitur: Ut qui hæc veneratur ut templa, cultum tamen maximum debeat conditori, ſciatque quiſquis in uſum Templi hujus inducitur, ritu ſibi vivendum Sacerdotis* &c. Philo autem Judæus, mundum dixit *Dei templum*, *cujus Sacrarium eſt Cælum*.

c *Veſtæ, aut Bonæ Deæ, aut Cereris*. Adde iis, quæ diximus locis proxime citatis, Propertium L. IV. Eleg. IX.

Fœmineæ loca clauſa Deæ, fonteſque piandos,
Impune & nullis ſacra retecta viris.

Nec ſolum viris vetitum erat ſepta ingredi harum ædium; ſed & Maſculorum ſive hominum, ſive quorumcumque animalium imagines velari jubebatur, ſi forte adeſſent, teſte Seneca Epiſt. XCVII. Unde Juvenalis Satyr. VI. ℣. 340.

. . . . *Ubi velari pictura jubetur,*
Quæcumque alterius ſexus imitata figuram eſt.

d *Quæ penetralia*. Intellige Domus, aut Templi. Sa-

quamvis adire viris non liceat, tamen a viris fabricata ſunt.

Sacra enim hæc peragebantur a fœminis etiam in domibus, ut contigit quum P. Clodius ſub ſpecie, & habitu Pſaltriæ ad conſtuprandam Pompejam, Cæſaris uxorem, ingreſſus eſt ejuſdem ædes eo tempore, quo ſacra iſta, viris non adeunda, agitabantur.

5.

Hi vero non tantum impietatis crimen effugiunt, ſed, quod eſt multo indignius, eloquentiæ famam, & ingenii gloriam conſequuntur.

6.

Quid, ſi aliquid inveſtigare poſſent? Sunt enim tam ſtulti in aſſeverando, quam improbi in quærendo: quum neque invenire quicquam poſſint, nec defendere, etiam ſi invenerint.

7.

Nam ſi verum vel fortuito viderint, quod ſæpius contingit, committunt, ut ab aliis id pro falſo refellatur. Non enim deſcendit aliquis e cælo, qui ſententiam de ſingulorum opinionibus ferat.

8.

Quapropter nemo dubitaverit, eos, qui iſta conquirant, ſtultos, ineptos, inſanos eſſe.

Ali-

9.

Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani [a], qui quum intelligeret, hæc non poſſe inveniri, ab ejuſmodi quæſtionibus ſe removit, vereorque ne in eo ſolo. Multa enim ſunt ejus non modo laude indigna, ſed etiam reprehenſione digniſſima: in quibus fuit ſuorum ſimillimus.

a *Cordis humani*: intellige *Sapientiæ prudentiæ* &c. ponitur enim *Cor* pro *Animo*; ut ſupra *paullo Cordatior*. Lactantius enim ſæpe ſæpius dixit, *in corde hominis ſapientiam eſſe*. Vide *de Opif. Dei* c. x. & xiii. hoc L. III. c. xiii. &c.

b *Suorum ſimillimus*. Heum. mallet: *Cæterorum* ſcilicet philoſophorum; Bunem. vero *ſtultorum*; quod placet; ſed Mss., & typis editi libri omnes habent *ſuorum*. I. E. eorum, qui cum ipſo faciunt, *ut ad ſe multitudinem contrahant*, ambiguis utendo ſermonibus: ſicuti cap: xvii. a ſeg. 3. de Epicuro diceba-mus. Nam inde proverbium illud natum eſt: *Sermones Socratis picturis Pauſonis ſimiles eſſe*; *noluit enim*, ut inquit Ælianus L. xiv. cap. xv. Var. Hiſt. *inimicitiam exercere cum his, ad quos verba Socrates faciebat, atque ob eam cauſſam ænigmatibus implicitas, & obliquas, diſſertationes dabat*.

10.

Ex his unum eligam, quod ab omnibus ſit probatum: celebre hoc proverbium Socrates habuit: *QUOD ſupra nos* [a], *nihil ad nos*.

a Quod supra nos, nihil ad nos. Tertullianus L. II. *ad Nationes* cap. iv. ſententiam hanc tribuit

Epi-

Epicuro, & quidem apte, ac congruenter; nam *reducta*, ut inquit Bruckerus *H. cr. Phil. L.II. Part.II. Cap.* XIII. *§.* V. *quæ in oblivionem venerat, Magni Socratis regula, cuncta in diſciplinis ad mentis emendationem, & felicitatem eſſe revocanda ſenſiebat*. At Cicero in *Quæſt. Acad.* L. I. Sext. Empir. L. VII, *adverſ. Log* ſeg. 8. Minucius Felix *in Octavio*. S.Hieronym. adverſ.Ruffin. Socrati illam reddunt; eamque ita exponunt, ut ſenſus ſit; *Cæleſtia vel procul eſſe a noſtra cognitione; vel ſi maxime cognita eſſent, nihil tamen ad bene vivendum* afferre. Et iccirco quoties de Cæleſtibus rogabatur nota reſponſio erat *quod ſupra nos, nihil ad nos*. Vide Xenoph. L. I. *Memorab. Socr.* Theodor. *Contra Græc. Orat.* IV. Gellium L. XIV, Cap. III. *N. Attic.*

11.

Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad plæclara opera datas convertamus in pedes. Nihil ad nos cælum, ad cujus contemplationem ſumus excitati [a]: nihil denique lux ipſa pertineat: certe victus noſtri cauſſa de cælo eſt.

a *Ad cujus contemplationem ſumus excitati*: Non quidem in ſenſu Anaxagoræ, quem cap. IX, a ſeg.4. Noſter refutavit; ſed ſecundum ea,quæ c.XII. ſeg 26. leguntur: nimirum; *ut ſummum bonum noſtrum in ſummo eſſe credamus*.

12.

Quod ſi hoc ſenſit, non eſſe de rebus cæleſtibus diſputandum [a], ne illorum quidem ra-

a *Non eſſe de rebus Cæleſtibus diſputandum*: Scite

rationem poterat comprehendere, quæ ſub pedibus habebat. Quid ergo? num erravit in verbis? Veriſimile non eſt[b]: ſed nimirum id ſenſit, quod locutus eſt, religioni minime ſerviendum[c]: quod ſi aperte diceret, nemo pateretur.

---

te Lactantius expoſitioni Socraticæ ſententiæ occurrit; ſi enim hoc ſenſit Philoſophus ille, neque de iis diſſerendum ei erat, quæ, etſi ſub pedibus exiſterent, rationem tamen eorum comprehendere non poterat. Quare ergo apud Platonem de rebus omnibus diſputat, & Metaphyſicam, Geometriam, Arithmeticam, Muſicam, & Eloquentiam tantopere laudat? Quis ſerio putet haſce diſciplinas comprehendi facile poſſe, ſi cum Socrate teneat, *Scire ſe nihil præter hoc ipſum, quod nihil ſciret*? Vide Laert. L. II. ſeg. 32. & Sex. Empir. L. VII. *ad Logic. Seg. 9.* Cælum autem infra terram eſſe, heic aperte denotat; ut c. XXIV. dicemus.

b *Veriſimile non eſt*: Nimirum in verbis erraſſe Socratem. *Erat quippe*, ut Laertius ait L. II. ſeg. 19. *in Oratoria, ſicut etiam Idonæus refert, promptus, atque acer*. Unde Timon *in Syllis* eum ita deſcribit:

Fluxit ab his legumque loquax, lapidumque politor,
Græcorum Vates, impoſturæque magiſter,
Deriſor, Rhetorque ſubatticus, & ſimulator.

c *Religioni minime ſerviendum* Non ſolum ii, qui Lactantium illuſtrare ſuis commentariis voluerunt, verum etiam alii plurimi ob hanc in Socratem ſententiam, eum inique egiſſe contendunt: inter quos Betulejus Socratis ipſius ad Ariſtodemum reſpondentis relatatis verbis: *Jam tibi*, ait, *mi Lactanti, ſublata eſt ambiguitas, quæ ex ſcripto naſcebatur, poſtquam tibi de mente conſtat*. At non video quomodo is

is dicere potuerit de mente Socratis in religionis negocio conſtare ex verbis recitatis, quum ea aliis ſint oppoſita. Non me latent, quæ Xenophon, quæ Plato, aliique Socratis Apologiſtæ dixerunt; ſed nullus inter eos hactenus extitit, qui Socratem ambigue, & callide loquentem ita exponeret, ut eum ab Atheiſmi ſuſpicione penitus vindicaret. Certum enim eſt, illum ita de rebus humanis locutum eſſe, ut divina contemnere prorſus videretur; & iccirco Indus ille, cui ſciſcitanti: quo nam pacto philoſophiæ operam daret? Socrates dixit: *de humanæ vitæ rationibus quærendum ſibi, & cogitandum eſſe*: in ſtomacho riſiſſe fertur, negando, *quemquam humana pervidere poſſe, qui divinorum ignoratione laboraret*. Ut ex Ariſtoxeno narrat Euſeb. *Præp. Evang.* L. XI. cap. III. Potius ergo ex his eruitur, Socratem ita de moribus diſſeruiſſe, ut non ſolum rerum cæleſtium, ac incomprehenſibilium, ſed etiam divinarum ſententiam nihili facere videretur; unde Athenienſium CCXXCI. primum, deinde CCCLXI. ſuffragiis, capitis ob violatam religionem condemnatus eſt, & ſecta ejus, ex qua prodiere Cyrenaici, Eliaci, Megarici, Academici, Cynici, Stoici, ac Pyrrhonii, tamquam ex infecta radice, germina peſſima, a quibuſdam civitatibus una cum Epicurea ejecta eſt; Epicurea quidem, *ut quæ eſſet magiſtra voluptatis*. *Socratica autem, ut quæ Deos vilipenderet*; Sex. Empirico teſte L. II. *adverſus Rhetor. ſeg.* 25.

13.

Quis enim non ſentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum, aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil eſt, quod poſſit ſine illo moderatore conſiſtere. Sic

14.

Sic domus ab habitatore deſerta dilabitur: navis ſine gubernatore abit peſſum: & corpus relictum ab amina diffluit [a]: nedum putemus tantam iſtam molem [b] aut conſtrui ſine artifice, aut ſtare tandiu ſine rectore potuiſſe.

---

a *Diffluit*: Al. *defluit*. Nobiſcum legit Aldus.
b *Tantam iſtam molem*: Al. *illam*.

15.

Quod ſi publicas illas religiones voluit evertere, non improbo, quin etiam laudabo, ſi ipſe [a] quod eſt melius invenerit. Verum idem per canem, & anſerem dejerabat.

---

a *Quin etiam laudabo ſi ipſe* &c. Laudes, quibus Socratem Ethnicorum plerique, nec non Eccleſiæ Partes extulerunt, nec modicæ, nec incongruæ ſunt ob morum doctrinam ab eo invectam; ſi tamen quorumdam caſtigetur audacia. Eraſmus enim tanti eum feciſſe de ſe teſtatur, ut ſæpe vix ſe abſtinere poſſe diceret, quin exclamaret: *Sancte Socrates ora pro nobis*. Abaelardus, Socratem SS. Martyribus exæquare eſt auſus, & Marſilius Ficinus, tamquam humani generis ſervatoris typum, eum conſtituere non erubuit, quibus proinde quadrat, quod de Apolline, *ſapientiſſimum omnium Socratem* prædicante, dixit Tertullianus Apol. LXVI. *O Apollinem inconſideratum! Sapientiæ teſtimonium reddidit ei viro, qui negabat Deos eſſe* &c.

bat [b]. O *hominem ſcurram* [c] (ut ait Zeno Epicureus [d]) ineptum, perditum, deſpera-

 rum,

---

b *Per canem, & anſerem dejerabat*. Apollonius L.IV. apud Philoſt. Socratem ſic dejerantem excuſat; hoc enim interdum feciſſe ait, ne per Deum aliquem verum juraret. At Tertullianus, in contumeliam Deorum id a Socrate factum eſſe, declarat Apol. XIV. & ad Nationes cap. XI. Nec Apollonii reſponſio quicquam valet; nam Socrates eodem animo jurat in Dialogis Platonis per Canem, per Anſerem, per Quercum; ac per Heram,nempe Junonem, per Herculem, & Jovem, ideoque per Numina, quæ Ethnicis erant veneranda ſuarum religionum Capita. Adde S.Auguſt. *de vera Relig.* cap. II. S.Cyrillum L. VI. *contra Julian.* Menag. L. II. ad Laert. ſeg. 40. &c.

c *O hominem ſcurram*. Scurræ vocabulum unde proprie originem trahat, inter Grammaticos non conſtat, Græci certe nihil tale habent; unde cum Verrio deſumi poſſit: *a Sectando* vero, ut Latini volunt, vix mihi aliquis perſuadeat. Significat autem hominem, qui non ſalva dignitate perſonæ dat operam rei alicui, ſeu talia profert, quæ riſum moveat; ex quo fit *Scurrile* I. E. *ridiculum ex turpitudine*. Vide Perottum h. v. Minucius Felix non Arnobius, ut dicit Beulejus pag. 43. *Scurram Atticum* dicit Socratem. Italis *Buffone*. Vatinius hoc nomine Ciceronem irriſiſſe dicitur; qui a Catone *ridiculus Conſul* aliquando appellatus eſt, quod apte jocis uteretur in Orationibus ſuis, ac in ſermonibus familiaribus. V. ſeg. 8. n. 2.

d *Ut ait Zeno Epicureus*. Inter octo Zenones, quos recenſet Laertius L. VII. ſeg. 35. ultimus iſte eſt,

tum, ſi cavillari voluit religionem: dementem, ſi hoc ſerio fecit, ut animal turpiſſimum pro Deo haberet.

eſt, quem Tullius L. I. *de N. D. Coryphæum* appellat *Epicureorum*, & de quo hæc eadem narrans ait: *Zeno non eos ſolum, qui tum erant, Apollodorum, Syllum, cæteros figebat maledictis; ſed Socratem ipſum parentem philoſophiæ* LATINO VERBO UTENS, *SCURRAM ATTICUM, fuiſſe dicebat.* At idem Cicero L. V. de finibus nihil valere contra Socratem hocce dictum putat.

16.

Quis jam ſuperſtitiones Ægyptiorum [a] audeat reprehendere, quas Socrates Athenis authoritate confirmavit ſua? Illud vero non ſane ſummæ vanitatis, quod ante mortem familiares ſuos rogavit [b], ut Æſculapio gallum, quem voverat, proſecrarent [c].

a *Superſtitiones Ægyptiorum*: Ægyptios Canem veneratos eſſe, res notiſſima eſt. Vide diſſ. XXVII. cap. III. ubi de *Anubide*. Et ad L. II. cap. VI. ſeg. 11 Ad Epitom. XXIII. ſeg. 6. *de Cynocephalo*. De Anſere vero Juvenalis Satyr. VI. ℣. 540. canit:

Ut veniam culpæ non abnuat; ANSERE MAGNO
Scilicet, & tenui popano corruptus Oſiris.

b *Rogavit*. Al. *rogitavit*.

c *Ut Æſculapio Gallum, quem voverat. proſecrarent*. Al. *pro ſe ſecarent*. Al. *ſacrarent*. Al. *procurarent*. Picus Mirandulanus id ex Symbolica, Pythagoræ diſciqlina, Socratem dixiſſe putat, quaſi idem ſit: *Æſculapio Gallum nutrire, ac proſecrare*.

Item

Item Cælius Rhodiginus *Lect. Antiq.* L. XVI. c. XII Lactantium redarguit, quod ſenſum Platonis hoc in Phædone narrantis non intellexerit, utpote allegorice dictum. At bene Tertullianus Socratem prævaricatum eſſe ait, quod de ſententia illa excidiſſet, qua docuerat, eos non eſſe Deos, qui vulgo colebantur. L. *de Anima* cap. I. Verum hoc proprium eſſe Atheorum alibi diximus, ut qui irreligioſi vivunt, tandem ſuperſtitioſi moriantur.

17.

Timuit videlicet [a], ne apud Rhadamanthum [b] recuperatorem [c], voti reus fieret ab

a *Timuit videlicet* &c. Elegans, & urbana irriſio, iis prorſus congruens, quæ hactenus de Socrate dicta ſunt.

b *Ne apud Rhadamanthum* &c. Is unus eſſe dicebatur ab Ethnicis ex tribus Jovis filiis, quos ab Europa ſuſcepit, judex apud Inferos factus, de quo Virgilius L. VI. æn. ℣. 566.

Gnoſſus hæc Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque, auditque dolos; ſubigitque fateri,
Quæ quis apud ſuperos, furto laetatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem

Unde apte a Noſtro dicitur *Recuperator* &c.

c *Recuperatorem* Bon. & Schott. *reciperatorem*. Aldus *receptorem*. Al. *præceptorem*. Al. *Imperatorem* &c. Lego cum pleriſque Mss. ſervando vocem latinam, qua ſæpe uſus eſt Cicero ad ſignifandum judicem illum delegatum, quem Prætor Urbanus dabat ad privatas quaſdam cauſſas cognoſcendas, ſibi publicis, ac gravioribus reſervatis. Judicium autem hu-

ab Æſclepio [d]. Dementiſſimum hominem putarem, ſi morbo affectus periſſet [e], quum vero hoc ſanus fecerit [f], eſt ipſe inſanus, qui eum putat [g] eſſe ſapientem. En, cujus temporibus [h] natum eſſe ſe homo ſapiens gratulatur.

hujuſmodi *Recuperatorium* dicebatur, in quo præcipue æſtimabantur injuriæ alicui irrogatæ. Vide Cicer. *Verr.* v. II. Plin. L. III. Epiſt. xx. Taubmann. ad Plaut. Bacch. A. II. Sc. III. ℣. 26.

d *Ab Æſclepio*. Al. *ab Æſculapio*. L. I. C. x. ſeg. 1. & cap. xvii. ſeg. 15. eadem varietas in hiſce nominibus occurrit, quæ in idem redit.

e *Periſſet*. Al. *periiſſet*.

f *Sanus hoc fecerit*. Al. *hic ſamus* &c.

g *Qui eum putat*. Al. *putet*.

h *En cujus temporibus*. Bon. *Eum cujus tem*.

C A P. X X I.

I.

VIdeamus tamen quid illum Socrates docuerit: qui quum totam Phyſicam repudiaſſet [a], eo ſe contulit, ut de virtute,

a *Quum totam phyſicam repudiaſſet*: Cicero L. v. *Acad quæſt.* Primuſque a rebus occultis, & ab ipſa natura involutis, in quibus omnes ante eum philoſophi occupati fuerunt, avocavit philoſophiam, & ad vitam communem adduxit, ut de virtutibus, & vitiis, omninoque de bonis rebus, & malis quæriret. Revera tamen non iccirco Græciam meliorem re-

te, atque officio quæreret; itaque non dubito, quin auditores ſuos juſtitiæ præceptis erudierit.

reddidit, quum longe utilius fuerit Scythis vitiorum ignoratio, quam Græcis cognitio virtutis; ut ſcite obſervavit Juſtinus hiſtoricus L. II. cap. II.

2.

Docente igitur Socrate, non fugit Platonem, juſtitiæ vim in æquitate conſiſtere [a]: ſiquidem omnes pari conditione naſcuntur. *Ergo nihil*, inquit, *privati, ac proprii habeant, ſed ut pares eſſe poſſint; quod juſtitiæ*

a *Juſtitiæ vim in æquitate conſiſtere*: *Æquitas* heic *æqualitatem* ſignificat, quam habemus omnes, qui pari conditione homines naſcimur. Sed cave, ne cum Hobbio hinc inferas: *ergo omnia ſunt omnium, quoniam inter eos, qui natura æquales ſunt, æquale etiam jus in omnibus eſſe debet*. Fallax enim iſta ratiocinatio eſt, in qua ob æqualitatem naturæ, quo ad eſſentialia conſideratæ, fit tranſitus ad naturam adventitiis circumſtantiis veſtitam. Illa autem in eo, in quo æquales ſumus, jus nobis tribuit, ut rationaliter tractemur; nec nobis fiat, quod ſibi fieri, vult nullus. Hæc vero jus naturæ noſtræ conſentaneum inducit, quo ſcilicet in ſocietate civili, œconomica, & politica gradus quidam ſint, ſecundum quos Ariſtoteles docuit: *homines diſpari ratione naſci. Alios quidem natura Dominos, alios natura ſervos*, quorum jura ſunt ſane ad omnia ſibi neceſſaria, non autem ad ſingula, quæ ſingulis ſunt opportune tribuenda. Vide diſſ. XXVII. cap. IV. §. I. ſeq.

tiæ ratio deſiderat, *omnia in commune poſſidebunt b*.

b Omnia in commune possidebunt: Sic etiam Aldus. Al. *poſſideant*. Immo dicendum erat; Nullus poſſideat, & quilibet eo, quod ſibi convenit, ſine aliorum injuria humaniter utatur.

3.

Ferri hoc poteſt, quandiu de pecunia dici videtur. Quod ipſum, quam impoſſibile a ſit, & quam injuſtum, poteram multis rebus b oſtendere. Concedamus tamen, ut poſſit fieri. Omnes enim ſapientes erunt, & pecuniam contemnent.

a *Quam impoſſibile*: I. E. *quam difficile*, ut experientia in primis Eccleſiæ ſæculis compertum eſt: Quamquam numquam in ea defuerint, qui vitæ hujuſmodi rationem inivimus, ut nihil poſſidentes, alimentis, & quibus tegamur, contenti ſumus, ſicuti nos hortatur Apoſtolus 1. ad Timoth. 8. Unde Hierony. Epiſt. CIII. ad Paulin. *Victus*, ait, *& veſtitus ſunt divitiæ Chriſtianorum*.

b *Multis rebus*: Al. *multis rationibus*. Noſtram lectionem cum ſuperioribus magis congruit. In cap. XXXVIII. Epit. ſeg. 2. de iis rationem reddit.

4.

Quo ergo illum communitas iſta perduxit? *Matrimonia quoque* (inquit) *communia eſſe debebunt a*: ſcilicet ut ad eandem mulierem mul-

a *Matrimonia quoque*: *inquit*, *communia eſſe debebunt*. Quod heic Platonis placitum eſt pro Repu-

multi viri[b] tanquam canes confluant, & is utique obtineat, qui viribus vicerit[c]: aut ſi ſapientes ſunt, ut philoſophi[d], expectent, ut vicibus, tanquam lupanar obeant[e].

publica a ſe excogitata adornanda, Hobbius inter naturæ jura recenſet; inquiens: *Nam lex naturalis obligabat in ſtatu naturali; ubi primo (quia natura omnia omnibus dedit;) nihil alienum erat; & proinde alienum invadere, impoſſibile; deinde ubi omnia communia erant, quare etiam concubitus omnes liciti.* L. de Cive cap. xiv. ſ. ix. ſeq. Eodem ſcilicet, quo ſupra ductus errore; cujus hoc conſequens eſt.

b *Ut ad eandem mulierem multi viri* &c. Tertul. in Apologetico ſic egregie de primis Chriſtianis loquitur: *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores. In iſto ſolo conſortium ſolvimus, in quo ſolo cæteri homines conſortium exercent, qui non amicorum ſolummodo matrimonia uſurpant, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant; ex illa, credo majorum, & ſapientiſſimorum diſciplina, Græci Socratis, & Romani Catonis; qui uxores ſuas amicis communicaverunt, quas in matrimonium duxerant liberorum cauſſa.* Socratem duas habuiſſe uxores, aliiſque abuſum eſſe fœminis, narratur a Porphyrio in vita ejuſdem apud S. Cyrillum L. vi. contra Julianum, & apud Theodoretum L. xii. *de Aff. Virt.* De Catone vero vide Plutarc. in vita illius.

c *Qui viribus vicerit.* Apud Tapyros, qui fortiſſimus erat, uxorem ducere poterat, quam vellet; Id Strabo narrat L. xi. pag. 520. Al. *vicibus* cum Aldo. Forte elegantius.

d *Aut ſi ſapientes ſunt, ut philoſophi*: Al. *ſi patientes ſunt* &c.

e *Obeant*: Al. *habeant*: Al. *abeant*.

5.

O miram Platonis æquitatem? Ubi eſt igitur virtus caſtitatis? ubi fides conjugalis? quæ ſi tollas, omnis juſtitia ſublata eſt [a].

a *Omnis juſtitia ſublata eſt*: En ratio quare naturæ potius repugnet rationali uxorum communitas. Nam matrimonium eſt primus ſtatus adventius humanæ naturæ, in quo homo conſtituitur per pactum utriuſque conjugis, procurandæ, educandæque ſobolis cauſſa, initum. Si ergo mulier non ex viro ſuo, ſed ex alio mater fiat, jam proles aliena educabitur ab eo cujus non eſt, non educabitur ab eo cujus eſt, & alia inde plurima exorientur, quæ juſtitiæ, ac æquitatis naturalis leges peſſundant, & deſtruunt. Vide Heinecc. *Prælect. Acad. in L. Sam. Puff. de Off. Hom. & Civis L. II. cap. II. & Carmichael. ibidem*, atque infra noſtram notam ſecundam ad ſeg. 2. cap. II. L. V.

6.

At idem dixit: *beatas civitates futuras fuiſſe, ſi aut philoſophi regnarent, aut reges philoſopharentur*. Huic vero tam juſto, tam æquo viro regnum dares, qui aliis abſtuliſſet ſua [a], aliis condonaſſet aliena: proſtituiſſet pudicitiam fœminarum, quæ nullus un-

a *Qui aliis abſtuliſſet ſua*: Relativum, quod hanc periodum, inchoat, in noſtro Bon. Cod., ac in aliis quibuſdam non legitur. Illud tamen ex bonis, & probatis aliis reſtituimus, quod ſententiam faciat illuſtriorem, ut bene heic notavit Cellarius.

unquam non modo rex, ſed ne tyrannus quidem fecit *b*?

b *Sed ne Tyrannus quidem fecit?* Non heic Lactantius loquitur de pæna illa, qna *ad Lenonem* damnari virgo, vel matrona dicebatur, ut in actis SS. Martyrum, & apud Tertul. Cyprian. Hieronym. Baſil. &c. legimus; ſed potius de Lege, quam Plato in ſua Republica ferri voluit: quamquam enim apud gentes quaſdam barbaras promiſcuus mulierum uſus fuiſſe dicitur; is tamen non niſi ex Platonis placito inductus eſt, Strabone teſte, qui de Schytis, aliiſque quibuſdam populis loquens ait: L. VII. p. m. 202. *Qui minime in conventis, & quæſtu vitam agunt; quin communia cuncta poſſideant, excepto enſe dumtaxat, & Cyatho; in hiſque uxores, & liberos in primis, pro Platonis inſtituto, communes habent.* Vagam quippe gentem nec pudet quicquam, nec piget quemquam. Miror autem hujuſmodi exempla a quibuſdam afferri ad aſſerendum, promiſcuum ſive uxorum, ſive mulierum quarumcumque uſum rationali naturæ non repugnare, & iccirco plene hanc materiam diſcuſſimus diſſ. xxxv. cap. II. §. x.

7.

Quum *a* tamen intulit rationem turpiſſimi hujus conſilii, ſic inquit: *Civitas conſors b erit,*

a *Quum tamen*: Bon. *quam tamen*. Al. *quum vero*. Al. *cum autem*. Aldus *quum vero* Bunem. punctum interrogationis addidit, quod tamen redundat.

b CIVITAS CONSORS ERIT: ſic reſtituo ex noſtro Bon. Cod. ubi omnes *concors* legunt. Digna quippe Lactantio & Cicerone lectio noſtra eſt; nam *Conſortes* dicuntur, qui ſimul de rebus participant; & ex

erit ; & mutui amoris conſtricta vinculis ; ſi omnes omnium fuerint & mariti , & fratres , & uxores c *; & liberi .*

---

ex hac participatione amorem , & concordiam gigni poſſe putabat Plato ; at longe ſapientius Medagorus apud Plautum in Aulul. III. v. 5. quum ait :

. . . . Si item faciant cæteri ,
Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum ,
Et multo fiat Civitas concordior .

Scilicet ex participatione bonorum .

c Si omnes fuerint et mariti , et patres , et uxores .

Gratulor huic terræ , quod abeſt regionibus illis

Inquit Ovidius *Metam.* x. F. ix. quum de illis regionibus loqueretur :

Quæ tantum genuere nefas . . . . . .

Et Platone ſapientior ait :

Hic amor odio majus ſcelus . . . .

& Myrrham impotente parentem ſuum Cinyram amore depereuntem , ſic graviter objurgat :

Ultra autem ſperare aliquid potes , impia virgo ?
Nec quot confundas & jura , & nomina ſentis ?
Tune eris & matris pellex , & adultera patris ?
Tunc ſoror gnati , genitrixque vocabere fratris? . . .
. . . . Nefas animo ne concipe : neve potentis
Concubitu vetido Naturæ pollue fœdus .

Naturæ humanæ juribus hujuſmodi commiſtiones repugnare , mirandum quidem eſt , noviſſe poetam ethnicum , & impudicum , ignoraſſe autem philoſophum , qui divinus audit , & ſapientiſſimus judicatur ab omnibus !

8.

Quæ iſta confuſio generis humani eſt? Quomo-

modo ſervari poteſt charitas, ubi nihil eſt certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitaverint ſemper una [a]? niſi devota mens, & ſervata invicem fides [b] individuam fecerit charitatem? quæ virtus in illa promiſcua voluptate locum non habet.

---

a *Niſi habitaverint ſemper una?* Hinc inter conjugum officia illud eſt, quod *Domum dedutionem* dicebant; & formula, qua uxor virum ſequebatur orta eſt: *Ubi tu Cajus, ego Caja.* V. Hotoman. *de ritu Nuptiar.*

b *Niſi devota mens, & ſervata invicem fides.* Duo hcic innuuntur officia conjugum, de quibus ad L. de Opif. Dei diximus cap. XIX. ſeg. 9. n. 6. & dicturi ſumus loco ibidem laudato.

9.

Item ſi omnes omnium liberi ſint, quis amare liberos, tanquam ſuos, poterit, quum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem, tanquam patri, deferet, quum unde natus ſit, neſciat? ex quo fit, ut non tantum [a] alienum pro patre habeat, ſed etiam patrem pro alieno.

---

a *Ut non tantum*: Bon. *non etiam*; ſed punctis ſub Tò *ETIAM* ita appoſitis, ut corrigendam vocem eſſe facile indicare voluerit Amanuenſis Librarius.

10.

Quid? quod uxor poteſt eſſe communis, filius

filius non poteſt [a], quem concipi non niſi ex uno neceſſe eſt ?

a *Filius non poteſt* : Al. *filius vero* &c.

11.

Perit ergo illi una communitas [a], ipſa reclamante natura. Supereſt, ut tantummodo concordiæ cauſſa uxores velit eſſe communes [b]. At nulla vehementior diſcordiarum cauſſa eſt, quam unius fœminæ a multis maribus appetitio.

a *Perit ergo illi una communitas* : Al. *illa una* Schott. *illi uni*. Walchius, & Heum. mallent : *Perit ergo matrimonii communitas*. Bunem. lectionem noſtram explanat; ſed fateor, anceps judicium ſuſpendeo, quum nil certi afferri poſſim.

b *Velit eſſe communes* : Al. *velint* ſed male; nam cum unico Platone hactenus diſputatum eſt.

12.

In quo Plato [a] ſi ratione non potuit, exemplis certe potuit admoneri, & mutorum animalium [b], quæ ob hoc vel acerrime pugnant:

a *In quo Plato* : Bon. *quod Plato*.

b *Et mutorum animalium* &c. Qui humanæ naturæ jura ex his, quæ hominibus, ac jumentis communia ſunt, metiuntur, eo dementiæ pervenerunt, ut ipſam brutorum naturam vel invideant, vel induant; quamquam nec id ex eo evincant, quod volunt; nec ea vitent, quæ nolunt. Quod egregie heic Noſter oſtendit.

gnant: & hominum, qui ſemper ob eam rem graviſſima inter ſe bella geſſerunt,

CAP. XXII.

1.

REſtat, ut communio iſta nihil aliud habeat, præter adulteria, & libidines, propter quas funditus eruendas [a] virtus eſt vel maxime neceſſaria.

a *Funditus eruendas*. Bon. *erunda*.

2.

Itaque non invenit concordiam, quam quærebat, quia non videbat unde oriatur. Nam juſtitia in extra poſitis [a] nihil momenti habet, ne in corpore quidem, ſed tota in hominis mente verſatur [b].

a *In extra poſitis*; Vide Cap. ſuperiori ſeg 2. ubi quæ heic extrapoſita dicuntur, *circumſtantiæ adventitiæ* a nobis dicta ſunt, quoniam non ad eſſentiam, ſed ad varios naturæ humanæ ſtatus ſolummodo pertinent, in quibus juſtitiæ æqualitas locum non habet, ſed loco illius omnia accomoda diſtribotio diſponit, ſingulis, quæ ſua ſunt, fideliſſime reddens.

b *In hominis mente verſatur*; Per quam omnes æquales ſumus; nam ſicuti anima noſtra non poteſt major, aut magis eſſæ talis in uno, quam in alio homine; ſic nullus poteſt eſſe magis homo, quam alter.

3.

Qui ergo vult homines adæquare, non ma-

matrimonia, non opes ſubtrahere debet; ſed arrogantiam, ſuperbiam, tumorem, ut illi potentes, & elati, pares eſſe [a] ſe etiam mendiciſſimis, ſciant.

a *Pares eſſe* &c. Bon. *pares ſuos*, pronomine, ſequenti ablato.

4.

Detracta enim divitibus inſolentia, & iniquitate, nihil intererit, utrum ne alii divites, alii pauperes ſint, quum animi pares fuerint [a], quod efficere nulla res alia præter religionem Dei poteſt.

a *Quum animi pares fuerint*. Al. *ſint*. Intellige voluntates ad unum finem directæ; unde ſequitur hoc niſi a Religione fieri non poſſe, quæ ideo, vinculum ſocietatis aptiſſime dicitur. Vide Iſagogen §. XXXII.

5.

Putavit ergo [a], ſe inveniſſe juſtitiam, quum eam prorſus everteret [b]: quia non rerum fragilium, ſed mentium debet eſſe communitas [c]. Nam ſi juſtitia virtutum omnium ma-

a *Putavit ergo*: Al. *putavit igitur*.
b *Everteret*. Al. *everterit*.
c *Mentium debet eſſe communitas*: Etiam hic pro voluntate uſurpat mentis vocabulum.

mater [d] eſt, quum illæ ſingulæ [e] tolluntur, ipſa ſubvertitur.

d *Juſtitia virtutum omnium mater*: Nimirum quia ea virtus eſt; *ex qua una*, ut inquit Cicero L. II. *de Offic. Viri boni appellantur*. Quod etiam in divinis literis obſervatum eſt, in quibus *Juſti* dicuntur, qui omnium virtutum genere præditi, cæteris præſtant.

e *Quum illæ ſingulæ*: Idem Cicero ubi ſupra ſapienter obſervat, quod quamquam conſtet inter omnes philoſophos: *qui unam haberet, omnes habere virtutes*, nec ſejungi ita poſſe, ut quiſquam juſtus dicatur, qui ſimul prudens non ſit; tamen *quum ad communem opinionem accomodatur oratio*; ita loquimur, ut alios fortes, alios bonos, alios prudentes viros dicamus; ſed non item juſtos, quoniam juſtitia in omnibus fere hominum officiis verſatur; & quando perfecta eſt, modica etiam fraude omnino deſtruitur. At, ſi de imperfecta loquamur: *nec illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur poſſunt ſine ulla particula juſtitiæ vivere* &c. Senſim tamen creſcentibus vitiis, illa quoque extinquitur ſcintilla, quæ ſupereſſe videbatur.

6.

Tulit autem Plato [a] ante omnia frugalitatem [b], quæ utique nulla eſt, ubi proprii nihil

a *Tulit autem Plato*: Verbum *tulit* pro ABSTULIT Lactantio frequens. Vide Duker. in Opuſc. de *Latinitate Inſcriptis*, & Savar. ad illud Sidon. Apollin. ex Carm. XIII. ℣. 14.

Uni ter geminum, cui tulit ille caput.

Al. mallent reſcribere vel *abſtulit*, vel *tollit*,

b *Frugalitatem*: Bon. *fragilitatem*.

nihil habeatur [c]. Tulit abſtinentiam, ſiquidem nihil fuerit, quo abſtineatur, alienum [d]. Tulit temperantiam, tulit caſtitatem, quæ virtutes in utroque ſexu maxime ſunt. Tulit verecundiam, pudorem, & modeſtiam, ſi honeſta & legitima eſſe incipiunt, quæ ſolent flagitioſa, & turpia judicari.

c *Vbi proprii nihil habeatur*. Al. *ubi proprium non habeatur*. Al. *habetur*.

d *Nibil fuerit, quo abſtineatur, alienum*. Bon. *quia abſtineant alieno*: Aldus, *abſtineat alieno*. Nobiſcum legendum putat Fulvius Urſinus: quamquam non negat legi poſſe: *quod abſtineant alieno*.

7.

Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas, & vitiorum, & virtutum materiam continet, communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam [a].

a *Communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam*: Ea nimirum ratione, quam ſuperius adduxit; quia ſcilicet, quum virtus medium ſervare debeat inter extrema; ſi communia omnia fiant, jam non erit unde quis ſe retrahat, aut quo tendat, ut juſtus in omnibus reperiatur, aſſignando ſingulis, quod ſuum eſt, & proprium etiam, quum oportuerit, elargiendo. Eſt autem alia perfecta Chriſtianorum communitas, quam voluntaria paupertas, virtutum altrix, inducit, de qua ad Cap. XXI. ſeg. 4. nota (b) diximus.

8.

Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil

nihil aliud dici poſſunt, quam luxurioſi, ac nepotes [a]. Item mulieres, quæ a multis habentur, non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum eſt: ſed proſtitutæ, ac meretrices ſint neceſſe eſt.

---

a *Nam viri qui multas mulieres habent nihil aliud dici poſſunt, quam luxurioſi, & nepotes*. En alia ratio ſingularis, quæ uxorum communitatem reſpicit, & homines *luxurioſos*, & *nepotes* denominat; Unde ad Ciceronis *Or. II. in Catelinam* hiſce, ſimilibuſque vocabulis addidit, Muretus: *Cur nepotes vocabant nequam, & diſſolutos homines? Opinor, quod, qui pueri, patre mortuo, in Avi tutelam veniunt, tales evadere conſueverint. Nam & indulgentiores patribus fere ſunt Avi; & ſi ſeveri eſſe velint, facile propter ætatis imbecillitatem a pueris, patrio metu ſolutis, contemnuntur*. Exempla plurima obvia ubique ſunt, quæ conjecturam confirmant. Al. *nepotes Lenoues*: Al. *nepotes perditi* Bon. *Luxurioſi nepotes*. Omnes male; nam *nepos* heic ſubſtantivum eſt contumeliæ, ſæpe a Cicerone uſurpatum ad *prodigos*, ac *diſſolutos* denotandos.

9.

Redegit ergo hominis vitam [a] ad ſimilitudinem, non dicam mutorum [b], ſed pecudum, ac belluarum. Nam volucres pene omnes

---

a *Redegit ergo hominis vitam*. Al. *humanam vitam* Aldus legit nobiſcum.

b *Non dicam mutorum*. Al. *non dico*. Nota differentiam Mutum Animal, inter ac pecudem, & Belluam.

faciunt matrimonia, & paria junguntur [c]: & nidos ſuos tanquam geniales toros [d] concordi mente defendunt: & fœtus ſuos quia certi ſunt, amant, & ſi alienos objeceris, abigunt.

---

c *Junguntur*. Bon. *jungunt*.

d *Geniales toros*. Horatius Epiſt. L. I. Epiſt. 1. ℣. 85.

. . . . . , *Lectus genialis in aula eſt?*

ubi Aſcentius ait: *id eſt: matrimonialis, in quo liberis generandis operam det* &c. & Juvenal. Saty. x. ℣. 333.

. . . . *Dudum ſedet illa parato*
Flammeolo, Tyriuſque palam Genialis in hortis
Sternitur . . . . . .

id eſt: lectus genialis, Græcis θάλαμος, ſternitur in honorem Genii, Junoniſque &c.

10.

At homo ſapiens contra morem hominum, contraque naturam, ſtultiora ſibi, quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in cæteris animalibus officia marium, fœminarumque non eſſe diviſa, exiſtimavit oportere etiam mulieres militare [a], & conſiliis publi-

---

a *Oporteret etiam mulieres militare*. Ideo Amazonum, Laconicarum Virginum, & Ponticarum mulierum exempla adduxerat Plato non ſolum L. c. de legibus, ſed etiam L. v. de Republ. ubi docet, mulieres æque, ac viros ad munia ſubeunda idoneas eſſe; quamvis viris imbecilliores, quod Ariſtoteles L. II. Polit. cap. I v. validis improbat argumentis.

blicis intereſſe, & magiſtratus gerere, & imperia ſuſcipere, itaque his arma, & equos aſſignavit; conſequens eſt, ut & lanam [b] & telam viris, & infantium geſtationes [c].

---

b *Vt & lanam*: Bon. *etiam lanam*. Al. *ut lanam*.

c *Infantium geſtationes*. Walchius notare heic jubet, vocem hanc ſignificare actum geſtandi, non tamen ſæpe occurrere. Seneca *geſtamen* uſurpavit, & Terent. Adelph. IV. II. 24. *Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis*. In noſtro Bon. Codice non bene legitur hocce verbum, & mihi valde vox iſta ſuſpecta eſt; quare legerem *geſtitionem*, quo vocabulo uſus eſt Cicero L. I. *de Invent* n. 37. ad ſignificandam *curationem*, *& adminiſtrationem*. Item pro *Infantium*. Bon. habet *infantibus*. *FORTE*: *& infantibus geſtitiones*.

11.

Nec vidit impoſſibilia eſſe, quæ diceret: ex eo, quod adhuc in orbe terræ [a] neque tam ſtulta, neque tam vana [b] ulla gens extiterit, quæ hoc modo viveret.

---

a *In orbe terræ*. Miratur Iſæus, qua ratione poſſit Lactantius Terram appellare *orbem*, quum ipſe neget, eam eſſe fiauræ orbicularis; ſed ad caput XXIV. dicturi ſumus quid de hac re ſenſerit Lactantius, ſecundum ea, quæ jam in noſtra diſſ. XXIV. cap. IV. §. 11. diſputavimus. V. ſupra ad cap. XX. ſeg. 12.

b *Neque tam ſtulta, neque tam vana*. Al. pro *tam vana*; habent cum Bon. *tam ſapiens*.

CAP. XXIII.

1.

QUum igitur in tanta vanitate [a] ipſi philoſophorum princeps deprehendantur: quid illos minores putabimus, qui nunquam [b] ſibi tam ſapientes videri ſolent, quam quum pecuniæ contemptu gloriantur? Fortis animus! Sed expecto quid faciant: & quo ille contemptus evadat.

a *Quum in tanta vanitate*. Al. *varietate*.
b *Qui numquam* Bon. non habet relativum *qui*.

2.

Tradita ſibi a parentibus patrimonia [a], tanquam malum fugiunt [b], ac deſerunt. Et ne in tempeſtate naufragium faciant, in tranquillum [c] ſe ultro præcipitant; non virtute, ſed perverſo metu fortes [d]: ſicut illi, qui, quum timent ne ab hoſte jugulentur, ipſi ſe jugulant, ut mortem morte devitent [e].

Sic

a *Patrimonia*. Bon. *Matrimonia*.
b *Fugiunt*. Bon. *fugiant*, *ac deſerant*.
c *In tranquillum*. Al. *in tranquillo*. Noſtra lectio Latinis uſitatior.
d *Perverſo metu fortes*. Vide ſupra ad c. XVII. ſeg v. & XXVII. ſeg. 5. 42.
e *Ut mortem morte devitent*. Plenius, quam Al. qui *morte* non habent, ſicuti Noſter Bon.

3.

Sic iſti, unde poſſent [a] gloriam liberalitatis acquirere [b], ſine honore, ſine gratia perdunt.

a *Unde poſſent*. Al. *unde putant*. Aldus nobiſcum legit.

b *Gloriam liberalitatis acquirere*. Al. *libertatis*, & ſic Bon.

4.

Laudatur Democritus, quod agros ſuos reliquerit: eoſque paſcua publica fieri paſſus ſit. Probarem, ſi donaſſet [a]. Nihil autem ſapienter fit, quod ſi ab omnibus fiat inutile eſt, ac malum.

a *Probarem ſi donaſſet*. Donaſſe de facto Patriæ ſuæ inquit Valer. Max. L. VIII. c. VII. Laertius vero diviſiſſe inter fratres ſubſtantiam, dixit, minoremque portionem, ut plures tradunt, quæ erat in pecunia, ſibi elegiſſe ad peregrinandum. Demetrius autem, apud eundem, aſſerit, ipſius partem centum talenta exceſſiſſe, quam omnem conſumpſit. L. IX. ſeg. 36. At Seneca L. de Provid. cap. VI. *divitias projeciſſe*, ait, *tamquam onus bonæ mentis*. Cic. L. V. *de finib. Patrimonium neglexiſſe, & agros incultos deſeruiſſe* aſſeruit.

5.

Sed hæc negligentia [a] tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium [b] in numos redactum

 effu-

a *Sed hæc negligentia*. Bon. *neclegentia*.

b *Ille, qui Patrimonium*. Is Crates Thebanus fuit,

erit; & mutui amoris conſtricta vinculis; ſi omnes omnium fuerint & mariti, & fratres, & uxores c; & liberi.

---

ex hac participatione amorem, & concordiam gigni poſſe putabat Plato; at longe ſapientius Medagorus apud Plautum in Aulul. III. v. 5. quum ait:

> . . . . *Si item faciant cæteri,*
> *Opulentiores pauperiorum filias*
> *Ut indotatas ducant uxores domum,*
> *Et multo fiat Civitas concordior.*

Scilicet ex participatione bonorum.

c Si omnes fuerint et mariti, et patres, et uxores.

> *Gratulor huic terræ, quod abeſt regionibus illis*

Inquit Ovidius *Metam.* x. F. ix. quum de illis regionibus loqueretur:

> *Quæ tantum genuere nefas . . . . . .*

Et Platone ſapientior ait:

> *Hic amor odio majus ſcelus . . . .*

& Myrrham impotente parentem ſuum Cinyram amore depereuntem, ſic graviter objurgat:

> *Ultra autem ſperare aliquid potes, impia virgo?*
> *Nec quot confundas & jura, & nomina ſentis?*
> *Tune eris & matris pellex, & adultera patris?*
> *Tunc ſoror gnati, genitrixque vocabere fratris?...*
> *.... Nefas animo ne concipe: neve potentis*
> *Concubitu vetido Naturæ pollue fœdus.*

Naturæ humanæ juribus hujuſmodi commiſtiones repugnare; mirandum quidem eſt, noviſſe poetam ethnicum, & impudicum, ignoraſſe autem philoſophum, qui divinus audit, & ſapientiſſimus judicatur ab omnibus!

8.

Quæ iſta confuſio generis humani eſt? Quomo-

modo ſervari poteſt charitas, ubi nihil eſt certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, niſi habitaverint ſemper una [a]? niſi devota mens, & ſervata invicem fides [b] individuam fecerit charitatem? quæ virtus in illa promiſcua voluptate locum non habet.

---

a *Niſi habitaverint ſemper una?* Hinc inter conjugum officia illud eſt, quod *Domum deductionem* dicebant; & formula, qua uxor virum ſequebatur orta eſt: *Ubi tu Cajus, ego Caja.* V. Hotoman. *de ritu Nuptiar.*

b *Niſi devota mens, & ſervata invicem fides.* Duo heic innuuntur officia conjugum, de quibus ad L. de Opif. Dei diximus cap. XIX. ſeg. 9. n. 6. & dicturi ſumus loco ibidem laudato.

9.

Item ſi omnes omnium liberi ſint, quis amare liberos, tanquam ſuos, poterit; quum ſuos eſſe aut ignoret, aut dubitet? quis honorem, tanquam patri, deferet, quum unde natus ſit, neſciat? ex quo fit, ut non tantum [a] alienum pro patre habeat; ſed etiam patrem pro alieno.

---

a *Ut non tantum*: Bon. *non etiam*; ſed punctis ſub Tῷ *ETIAM* ita appoſitis, ut corrigendam vocem eſſe facile indicare voluerit Amanuenſis Librarius.

10.

Quid? quod uxor poteſt eſſe communis, filius

filius non poteſt [a], quem concipi non niſi ex uno neceſſe eſt?

a *Filius non poteſt*: Al. *filius vero* &c.

11.

Perit ergo illi una communitas [a], ipſa reclamante natura. Supereſt, ut tantummodo concordiæ cauſſa uxores velit eſſe communes [b]. At nulla vehementior diſcordiarum cauſſa eſt, quam unius fœminæ a multis maribus appetitio.

a *Perit ergo illi una communitas*: Al. *illa una* Schott. *illi uni*. Walchius, & Heum. mallent: *Perit ergo matrimonii communitas*. Bunem. lectionem noſtram explanat; ſed fateor, anceps judicium ſuſpendeo, quum nil certi afferri poſſim.

b *Velit eſſe communes*: Al. *velint* ſed male; nam cum unico Platone hactenus diſputatum eſt.

12.

In quo Plato [a] ſi ratione non potuit, exemplis certe potuit admoneri, & mutorum animalium [b], quæ ob hoc vel acerrime pugnant:

a *In quo Plato*: Bon. *quod Plato*.

b *Et mutorum animalium* &c. Qui humanæ naturæ jura ex his, quæ hominibus, ac jumentis communia ſunt, metiuntur, eo dementiæ pervenerunt, ut ipſam brutorum naturam vel invideant, vel induant; quamquam nec id ex eo evincant, quod volunt; nec ea vitent, quæ nolunt. Quod egregie heic Noſter oſtendit.

gnant: & hominum, qui ſemper ob eam rem graviſſima inter ſe bella geſſerunt.

CAP. XXII.

1.

REſtat, ut communio iſta nihil aliud habeat, præter adulteria, & libidines, propter quas funditus eruendas [a] virtus eſt vel maxime neceſſaria.

a *Funditus eruendas*. Bon. *eruenda*.

2.

Itaque non invenit concordiam, quam quærebat, quia non videbat unde oriatur. Nam juſtitia in extra poſitis [a] nihil momenti habet, ne in corpore quidem, ſed tota in hominis mente verſatur [b].

a *In extra poſitis*: Vide Cap. ſuperiori ſeg 2. ubi quæ heic extrapoſita dicuntur, *circumſtantiæ adventitiæ* a nobis dicta ſunt, quoniam non ad eſſentiam, ſed ad varios naturæ humanæ ſtatus ſolummodo pertinent, in quibus juſtitiæ æqualitas locum non habet, ſed loco illius omnia accomoda diſtribotio diſponit, ſingulis, quæ ſua ſunt, fideliſſime reddens.

b *In hominis mente verſatur*: Per quam omnes æquales ſumus; nam ſicuti anima noſtra non poteſt major, aut magis eſſæ talis in uno, quam in alio homine; ſic nullus poteſt eſſe magis homo, quam alter.

3.

Qui ergo vult homines adæquare, non ma-

matrimonia, non opes ſubtrahere debet; ſed arrogantiam, ſuperbiam, tumorem, ut illi potentes, & elati, pares eſſe [a] ſe etiam mendiciſſimis, ſciant.

a *Pares eſſe* &c. Bon. *pares ſuos*, pronomine ſequenti ablato.

4.

Detracta enim divitibus inſolentia, & iniquitate, nihil intererit, utrum ne alii divites, alii pauperes ſint, quum animi pares fuerint [a], quod efficere nulla res alia præter religionem Dei poteſt.

a *Quum animi pares fuerint*. Al. *ſint*. Intellige voluntates ad unum finem directæ; unde ſequitur hoc niſi a Religione fieri non poſſe, quæ ideo, vinculum ſocietatis aptiſſime dicitur. Vide Iſagogen §. XXXII.

5.

Putavit ergo [a], ſe inveniſſe juſtitiam, quum eam prorſus everteret [b]: quia non rerum fragilium, ſed mentium debet eſſe communitas [c]. Nam ſi juſtitia virtutum omnium ma-

a *Putavit ergo*: Al. *putavit igitur*.
b *Everteret*. Al. *everterit*.
c *Mentium debet eſſe communitas*: Etiam hic pro voluntate uſurpat mentis vocabulum.

mater [d] eſt, quum illæ ſingulæ [e] tolluntur, ipſa ſubvertitur.

d *Juſtitia virtutum omnium mater*: Nimirum, quia ea virtus eſt; *ex qua una*, ut inquit Cicero L. II. *de Offic. Viri boni appellantur*. Quod etiam in divinis literis obſervatum eſt, in quibus *Juſti* dicuntur, qui omnium virtutum genere præditi, cæteris præſtant.

e *Quum illæ ſingulæ*: Idem Cicero ubi ſupra, ſapienter obſervat, quod quamquam conſtet inter omnes philoſophos: *qui unam haberet, omnes habere virtutes*, nec ſejungi ita poſſe, ut quiſquam juſtus dicatur, qui ſimul prudens non ſit; tamen *quum ad communem opinionem accomodatur oratio*; ita loquimur, ut alios fortes, alios bonos, alios prudentes viros dicamus; ſed non item juſtos, quoniam juſtitia in omnibus fere hominum officiis verſatur; & quando perfecta eſt, modica etiam fraude omnino deſtruitur. At, ſi de imperfecta loquamur: *nec illi quidem, qui maleficio, & ſcelere paſcuntur poſſunt ſine ulla particula juſtitiæ vivere* &c. Senſim tamen creſcentibus vitiis, illa quoque extinquitur ſcintilla, quæ ſupereſſe videbatur.

6.

Tulit autem Plato [a] ante omnia frugalitatem [b], quæ utique nulla eſt, ubi proprii nihil

a *Tulit autem Plato*: Verbum *tulit* pro ABSTULIT Lactantio frequens. Vide Duker. in Opuſc. de *Latinitate Inſcriptis*, & Savar. ad illud Sidon. Apollin. ex Carm. XIII. ℣. 14.

Uni ter geminum, cui tulit ille caput.

Al. mallent reſcribere vel *abſtulit*, vel *tollit*,

b *Frugalitatem*: Bon. *fragilitatem*.

nihil habeatur [c]. Tulit abſtinentiam, ſiquidem nihil fuerit, quo abſtineatur, alienum [d]. Tulit temperantiam, tulit caſtitatem, quæ virtutes in utroque ſexu maxime ſunt. Tulit verecundiam, pudorem, & modeſtiam, ſi honeſta & legitima eſſe incipiunt, quæ ſolent flagitioſa, & turpia judicari.

c *Ubi proprii nihil habeatur*. Al. *ubi proprium non habeatur*. Al. *habetur*.

d *Nihil fuerit, quo abſtineatur, alienum*. Bon. *quia abſtineant alieno*: Aldus, *abſtineat alieno*. Nobiſcum legendum putat Fulvius Urſinus: quamquam non negat legi poſſe: *quod abſtineant alieno*.

7.

Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas, & vitiorum, & virtutum materiam continet, communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam [a].

a *Communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam*: Ea nimirum ratione, quam ſuperius adduxit; quia ſcilicet, quum virtus medium ſervare debeat inter extrema; ſi communia omnia fiant, jam non erit unde quis ſe retrahat, aut quo tendat, ut juſtus in omnibus reperiatur, aſſignando ſingulis, quod ſuum eſt, & proprium etiam, quum oportuerit, elargiendo. Eſt autem alia perfecta Chriſtianorum communitas, quam voluntaria paupertas, virtutum altrix, inducit, de qua ad Cap. xxi. ſeg. 4. nota (b) diximus.

8.

Nam viri, qui multas mulieres habent, nihil

nihil aliud dici poſſunt, quam luxurioſi, ac nepotes [a]. Item mulieres, quæ a multis habentur, non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum eſt: ſed proſtitutæ, ac meretrices ſint neceſſe eſt.

a *Nam viri qui multas mulieres habent nihil aliud diçi poſſunt, quam luxurioſi, & nepotes*. En alia ratio ſingularis, quæ uxorum communitatem reſpicit, & homines *luxurioſos*, & *nepotes* denominat; Unde ad Ciceronis *Or. II. in Catelinam* hiſce, ſimilibuſque vocabulis addidit, Muretus: *Cur nepotes vocabant nequam, & diſſolutos homines? Opinor, quod, qui pueri, patre mortuo, in Avi tutelam veniunt, tales evadere conſueverint. Nam & indulgentiores patribus fere ſunt Avi; & ſi ſeveri eſſe velint, facile propter ætatis imbecillitatem a pueris, patrio metu ſolutis, contemnuntur*. Exempla plurima obvia ubique ſunt, quæ conjecturam confirmant. Al. *nepotes Lenoues*: Al. *nepotes perditi* Bon. *Luxurioſi nepotes*. Omnes male; nam *nepos* heic ſubſtantivum eſt contumeliæ, ſæpe a Cicerone uſurpatum ad *prodigos*, ac *diſſolutos* denotandos.

9.

Redegit ergo hominis vitam [a] ad ſimilitudinem, non dicam mutorum [b], ſed pecudum, ac belluarum. Nam volucres pene omnes

L.III. O fa-

a *Redegit ergo hominis vitam*. Al. *humanam vitam* Aldus legit nobiſcum.

b *Non dicam mutorum*. Al. *non dico*. Nota differentiam Mutum Animal, inter ac pecudem, & Belluam.

faciunt matrimonia, & paria junguntur [c]: & nidos ſuos tanquam geniales toros [d] concordi mente defendunt: & fœtus ſuos quia certi ſunt, amant, & ſi alienos objeceris, abigunt.

c *Junguntur*. Bon. *jungunt*.
d *Geniales toros*. Horatius Epiſt.L.I. Epiſt.1.ỳ.85.
. . . . . . , *Lectus genialis in aula eſt?* ubi Aſcentius ait: *id eſt: matrimonialis, in quo liberis generandis operam det* &c. & Juvenal. Saty. x. ỳ. 333.
. . . . *Dudum ſedet illa parato*
Flammeolo, Tyriuſque palam Genialis in hortis
Sternitur . . . . . .
id eſt: lectus genialis, Græcis θάλαμος, ſternitur in honorem Genii, Junoniſque &c.

10.

At homo ſapiens contra morem hominum, contraque naturam, ſtultiora ſibi, quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in cæteris animalibus officia marium, fœminarumque non eſſe diviſa, exiſtimavit oportere etiam mulieres militare [a], & conſiliis publi-

a *Oporteret etiam mulieres militare*. Ideo Amazonum, Laconicarum Virginum, & Ponticarum mulierum exempla adduxerat Plato non ſolum L. c. de legibus, ſed etiam L. v. de Republ. ubi docet, mulieres æque, ac viros ad munia ſubeunda idoneas eſſe; quamvis viris imbecilliores, quod Ariſtoteles L.II. Polit. cap.1v. validis improbat argumentis.

blicis intereſſe, & magiſtratus gerere, & imperia ſuſcipere, itaque his arma, & equos aſſignavit; conſequens eſt, ut & lanam [b] & telam viris, & infantium geſtationes [c].

---

b *Ut & lanam*: Bon. *etiam lanam*. Al. *ut lanam*.

c *Infantium geſtationes*. Walchius notare heic jubet, vocem hanc ſignificare actum geſtandi, non tamen ſæpe occurrere. Seneca *geſtamen* uſurpavit, & Terent. Adelph. IV. II. 24. *Quem ego modo puerum tantillum in manibus geſtavi meis*. In noſtro Bon. Codice non bene legitur hocce verbum, & mihi valde vox iſta ſuſpecta eſt; quare legerem *geſtitionem*, quo vocabulo uſus eſt Cicero L. I. *de Invent* n. 37. ad ſignificandam *curationem*, & *adminiſtrationem*. Item pro *Infantium*. Bon. habet *infantibus*. *FORTE*: & *infantibus geſtitiones*.

11.

Nec vidit impoſſibilia eſſe, quæ diceret: ex eo, quod adhuc in orbe terræ [a] neque tam ſtulta, neque tam vana [b] ulla gens extiterit, quæ hoc modo viveret.

---

a *In orbe terræ*. Miratur Iſæus, qua ratione poſſit Lactantius Terram appellare *orbem*, quum ipſe neget, eam eſſe figuræ orbicularis; ſed ad caput XXIV. dicturi ſumus quid de hac re ſenſerit Lactantius, ſecundum ea, quæ jam in noſtra diſſ. XXIV. cap. IV. §. 11. diſputavimus. V. ſupra ad cap. XX. ſeg. 12.

b *Neque tam ſtulta*, *neque tam vana*. Al. pro *tam vana*; habent cum Bon. *tam ſapiens*.

3.

Sic iſti, unde poſſent [a] gloriam liberalitatis acquirere [b], ſine honore, ſine gratia perdunt.

a *Unde poſſent*. Al. *unde putant*. Aldus nobiſcum legit.

b *Gloriam liberalitatis acquirere*. Al. *libertatis*, & ſic Bon.

4.

Laudatur Democritus, quod agros ſuos reliquerit: eoſque paſcua publica fieri paſſus ſit. Probarem, ſi donaſſet [a]. Nihil autem ſapienter fit, quod ſi ab omnibus fiat inutile eſt, ac malum.

a *Probarem ſi donaſſet*. Donaſſe de facto Patriæ ſuæ inquit Valer. Max. L. VIII. c. VII. Laertius vero diviſiſſe inter fratres ſubſtantiam, dixit, minoremque portionem, ut plures tradunt, quæ erat in pecunia, ſibi elegiſſe ad peregrinandum. Demetrius autem, apud eundem, aſſerit, ipſius partem centum talenta exceſſiſſe, quam omnem conſumpſit. L. IX. ſeg. 36. At Seneca L. de Provid. cap. VI. *divitias projeciſſe*, ait, *tamquam onus bonæ mentis*. Cic. L. V. *de finib. Patrimonium neglexiſſe, & agros incultos deſeruiſſe* aſſeruit.

5.

Sed hæc negligentia [a] tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium [b] in numos redactum effu-

a *Sed hæc negligentia*. Bon. *neclegentia*.

b *Ille, qui Patrimonium*. Is Crates Thebanus fuit,

effudit in mare? Ego dubito utrumne ſanus, an demens fuerit. *Abite*, inquit, *in profundum malæ cupiditates, ego vos mergam, ne ipſe mergar a vobis.*

fuit, Secta Cynicus, de quo S. Hieronym. ad Paulin. de inſtitut. Monacorum ait: *Crates ille Thebanus, homo quondam ditiſſimus, quum ad philoſophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abiecit* &c. Vide de eo Philoſtratum, Suidam, Laertium atque Stanlejum &c. Menagius vero ad Laert. L.VI. §.87. Ælian. L. III. c.VI. & Origen. contra Celſum L. II. potius populo Thebano bona ſua largitum eſſe Cratetem aſſerunt.

6.

Si tantus pecuniæ contemptus eſt, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus: poteſt hoc, quod perditurus es, multis ſuccurrere, ne fame, aut ſiti, aut nuditate moriantur.

7.

Imitare inſaniam ſaltem, furoremque Tuditani [a], ſparge populo diripienda. Potes & pecuniam effugere, & tamen bene collocare, quia ſalvum eſt quicquid pluribus profuit. Ze-

a *Furoremque Tuditani*. Vir fuit iſte inſania ſua famoſus inter Romanos ex Gente Sempronia, qui avus erat Fulviæ uxoris M. Antonii. Is nummos Populo ſparſit: togamque, velut tragicam veſtem, cum cothunis in foro trahens, maximo cum riſu conſpectus eſt: de eo Cicer. Philip. III. & Valer. Max. L. VII. cap. VIII.

8.

Zenonis autem paria peccata *a* quis probat? Sed omittamus id, quod eſt ab omnibus ſemper irriſum *b*. Illud ſatis eſt ad coarguendum furioſi hominis errorem: quod inter vitia, & morbos, miſericordiam ponit *c*. Adi-

mit

a *Zenonis autem paria peccata*. Al. *propria peccata*. Dogma Stoicorum eſt a Zenone Cittieo eorum Principe emanatum: *Omnia peccata eſſe paria*. Dicebant enim, *peccare eſſe tamquam tranſire lineam*. Vide Ciceron. in Paradoxis. L. IV. *Acad. queſt.* L. III. *de Finib.* Lipſium in *Manud. ad Philoph. Stoic.* Stollium in *hiſt. philoſoph. Moral. ethn.* &c. Quam longe a veritate ii aberraverint illud evincit Chriſti Domini ad Pilatum Joh. XIX. v. 11. *Propterea qui me tradidit tibi majus peccatum habet*. Siquidem non ſolum peccatorum genera, & ſpecies, invicem comparata ſe excedunt in gravitate; ſed etiam idem numero peccatum majus eſt in uno, quam in altero homine, reſpectu cognitionis, voluntatis, ac ſtatus

b *Quod eſt ab omnibus ſemper irriſum*. Dum Cicero Conſul cauſſam ageret coram Senatu Romano pro L. Murena, qui accuſabatur a Catone, quum ex perſona accuſatoris deriſiſſet Stoicæ Sectæ abſurda, & nova præcepta, & magnus inde riſus ad ipſos Judices perveniſſet, eundem Catonem ſubridentem dixiſſe, tradit Plutarchus *in Compar. Demoſten. cum Cicer. Dii boni! Quam ridiculum Conſulem habemus!* Feſtivus enim, & natura facetus erat Cicero; ſic ibidem ait idem Plutar.

c *Inter vitia, & morbos miſericordiam ponit*. Inter Stoicorum dogmata, iſtud fuiſſe, traditum eſt,

nem-

mit nobis affectum [d], quo ratio humanæ vitæ pene omnis continetur.

---

nempe *Miſericordiam eſſe ægritudinem, ſive pertubationem, contractionemque animi, a ratione alienam*: Ideoque ſapientes *non eſſe miſericordes*. Vide Laert. L. VII. in Zenon. & Cicer. pro Murena ait in perſona Stoicorum: *neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum, & levem*. Plato, Ariſtoteles, Plinius, nec non Philoſophorum plurimi contraria ſenſerunt. Vide Stob. tom. II. Tit. III. Verum tamen eſt, Senecam in L. II. *de Clem.* c. IV. & V. ſapientiſſime dogma illud expoſuiſſe, aſſerens, talem eſſe debere ſapientis affectum, qualem ſcilicet nos prædicamus eſſe divinam erga nos charitatem, quæ ſine aliquo dolore noſtri miſeretur. Jure, & merito tamen eas omnes Auguſtinus caſtigavit L. I. c. XXVII. *de Moribus Eccleſiæ* inquiens: *ſtulti vero, quum miſericordiam, quaſi vitium devitant, quia officio ſatis moveri nequeunt, ſi nec perturbatione commoveantur; congelaſcunt potius rigore inhumanitatis, quam rationis tranquillitate ſerenentur: itaque multo prudentius Deus etiam ipſe miſericors dicitur, qui quemadmodum dicatur, reſtat intelligere iis, qui ſeſe idoneos Religione, ſtudioque præſtiterunt*. Ambiguitatem tolles ſi recte miſericordiam definias per id, quod facit, nempe: *Affectus alienam miſeriam ſublevare ſatagens*, quod non ſolum ſine anguſtia, ſed magna cum lætitia fieri a ſapientibus ſolet. Hinc Euripides *in Antiopa* apud Stob.

Non imperiti metus eſt miſereſcere;
Sed viri ſapientis: &c.

Ii autem qui contraria ſentiunt, compaſſionem cum miſericordia confundunt, utramque definientes per id, quod *miſerum cor facit alieno malo condolentis*.

Ga-

Gataker. apud Gallæum ſcite heic plura compilavit, quæ eo non laudato Langletius de more exſcripſit.

d *Adimit nobis affectum*: Plinins L. c. ait: *Socratem clarum ſapientia eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Exit hic animi tenor aliquando in rigorem quendam, torvitatemque naturæ duram, & inflexibilem, AFFECTUSQUE humanos ADIMIT, quales APATES Græci vocant, multos ejus generis experti*: &c.

9.

Quum enim natura hominis imbecillior ſit, quam cæterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum [a], vel ad incurſiones a ſuis corporibus arcendas, naturalibus munimentis providentia cæleſtis armavit: homini autem, quia nihil iſtorum datum eſt, accepit pro iſtis [b] omnibus miſerationis affectum, qui plane vocatur humanitas, qua noſmet invicem tueremur.

a *Vim temporum*. Al. *vices*: Al. *vitam*.
b *Accepit pro iſtis* Scil. *natura hominis*. Al. non *iſtis* ſed *illis* legunt. Vide *de Opif. Dei* cap. II. ſeq.

10.

Nam ſi homo ad conſpectum alterius [a] efferaretur, quod facere videmus animantes, quo-

a *Nam ſi homo ad conſpectum alterius hominis efferaretur*. Bon. *auferretur*. Aldus addit: *auferatur*. Sed primæ duæ lectiones ſuos habent propugnatores; noſtra tamen planiſſima eſt, & non minus antecedentibus, quam conſequentibus congruit.

quorum natura ſolivaga eſt [b], nulla eſſet hominum ſocietas, nulla urbium condendarum vel cura, vel ratio, ſic neque vita quidem [c] ſatis tuta, quum & cæteris animalibus expoſita eſſet imbecillitas hominum, & ipſi inter ſemetipſos belluarum more ſævirent.

b *Solivaga eſt*: Cicero hanc vocem uſurpat non ſolum pro adjuncto viventium; ſed etiam inanimatorum. Puta *Cælum ſolivagum*. Ubi vero de animantibus loquitur *ſolivagas* contraponit congregatis. Ut L. v. *Tuſc.*

c *Sic neque vita quidem*: Bon. *ſi ne vita quidem*.

11.

Non minor in aliis dementia. Quid enim dici poteſt de illo, qui nigram dixit eſſe nivem [a]? quam conſequens erat, ut etiam picem albam eſſe diceret. Hic eſt ille, qui ſe icciirco natum [b] eſſe dicebat, ut cælum, ac ſolem videret, qui in terra nihil videbat ſole lucente. Xe-

a *Qui nigram dixit eſſe nivem?* Idem Lactant. infra L. v. c. III. ſeg. 23. *Anaxagoræ nives atramentum fuerunt*: Cicero L. IV. *Acad. Quæſt.*, & Galenus L. II. *de virtut. ſimpl medicam.* idem referunt; nota tamen, Ariſtotelem L.I. *Topic.* cap. IX. dixiſſe, effatum hocce explanatione indigere; ſed quid in explanatione dici poterit, quum etiam de aqua aſſeruerit, ne illam quidem eſſe niſi nigram, quum ex illa concreta nix fieret. Vide Stanl. *de doctr. Anax.* ſect. III.

b *Hic eſt ille, qui ſe icciirco natum*. Vide ſupra cap. IX.

12.

Xenophanes a dicentibus mathematicis b or-

a *Xenophanes* Scil. Colophonius Eleaticæ Sectæ, ut habet Clem. Alex. L. I. *Strom.* Inſtitutor, qui ſecundum Timæum, Hieronis Siciliæ Regis, ætate floruit, quamvis Apollodorus eum IV. Olymp. natum, & uſque ad Darii, Cyrique tempora perveniſſe teſtetur. Is teſte Plutarcho *de Plac. Philoſ.* L.II. c.XXV. dixit, Lunam nubem eſſe conſtipatam, non unam; ſed plurimas, quemadmodum plurimos ſoles pro variis Terræ climatibus diſperſos, immo per mundos infinitos, eoſque invariabiles, ut apud Laert. L. IX. ſeg. 19. Quibus adde Ciceron. L. IV. *Acad. Quæſt.* teſtantem, illum aſſeruiſſe, habitare homines in concavo Lunæ ſinu, ibique eſſe terram multarum Urbium, quod præter eum docuit etiam Pythagoras in Lucullo; ſed Jambl. de Symbol. Pythag, & Ariſt. *de Cæl.* XLIX. dictum volunt Myſticæ, quatenus effectus in cauſis continentur; non ita tamen ſentiunt noſtrorum temporum dementiſſimi quidam, de quibus diſſ. XXIV. c. III. §. X. dictum eſt.

b *Dicentibus Mathematicis*. Stoici, ex Plutar. de Pl. Ph. L. II. c. XXVI. Lunam, & Solem majores terra pronunciant. Parmenides autem ſoli æqualem. Epicurus apud Stob. Ecl. Phiſic. p. 59.

Quid quid eſt, nihil fertur majore figura.

At Anaximander *undeviginti* partibus terram a Luna in magnitudine ſuperari aſſeruit apud eundem ibidem, quod confirmat Plutarchus ubi ſupra c. XXI. ubi ait: Anaximander circulum (Lunæ) eſſe novem decluplum, proportione terræ; Ideoque pro mathematicis, de quibus heic loquitur Lactantius, intelligi

orbem lunæ duodeviginti partibus [c] majorem eſſe, quam terram [d], ſtultiſſime credidit, & quod huic levitati fuit conſentaneum, dixit, intra concavum lunæ ſinum eſſe aliam ter-

ligi debent Philoſophi, qui Sectæ Jonicæ nomen dederunt, & Principem ſuum Anaximandrum Mileſium habent, popularem, ſodalemque Thaletis, cujus etiam Cicer. dicit fuiſſe diſcipulum, in Acad. quæſt. L. IV., natum olymp. XLII. an. IV. & Polycratis, Samiorum Tyranni ævo; Laert. L. II. ſeg. 2. teſtante, florentem maxime. Hic quippe Geometriam compendio tractavit, & primus ejus ſcientiæ, poſt Homerum, magiſter fuit, ut Suidas tradidit; de eo vide diſſ. XL. cap. VI. §. 11.

c *Duodeviginti partibus*. Sic Cicer. L. IV. *Acad. Quæſt.*, quamquam L. II. *de Nat. Deor.* Lunam ex Mathematicorum placitis majorem afferat, quam partem terræ dimidiam. Sed longum eſſet heic de Aſtronomorum placitis circa cæleſtium corporum magnitudinem diſputare. Quilibet enim eam ſuo accomodat Syſtemati, quum revera propoſitum ſuum rebus ipſis nequeant accomodare. Vide diſſ. XXIV. cap. III.

d *Eſſe aliam terram*: Cicer. L. IV. *Acad. quæſt.* 39. *Habitari, ait, Xenophanes in Luna, eamque eſſe terram multarum Vrbium, & montium*. Galilæus noſter ope teleſcopii in luna plurimos veluti præruptos, altiſſimoſque montes, noſtris ſimillimos, ſe vidiſſe teſtatur, quorum nonnulli *longo centum circiter milliarum tractu continuantur: alii in nodum quaſi, & cumuum arctantur. Apparent etiam ibi multi ſcopuli avulſi. & ſolitarii; confragoſi ſatis, & abrupti. Maxime vero frequentes ibi* conſpiciuntur aggeres &c. Vide diſſ. ubi ſupra §. VII.

terram, & ibi aliud genus hominum [e] ſimili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus.

---

e *Et ibi aliud genus hominum*: Quamquam generationes in Luna a terreſtribus valde diſſimiles non aſſerit Galilæus inquiens: *Etſi facile credo, regiones iſthic otioſas, ac mortuas non eſſe; non tamen auſim affirmare, ibidem inveniri motum, & vitam, ac multo minus, generari plantas, animalia, aut res alias noſtris ſimiles: quæ ſi maxime ibi exiſterent, diverſiſſimæ tamen exiſtent, & ab omni noſtra imaginatione remotæ.* &c. Tamen idem ipſe generationes in Cælis adſtruit, quas ex maculis ſolaribus demonſtrare nititur; ſed eſpreſſe de Lunæ habitatoribus alii poſtmodum locuti ſunt, de quibus egimus diſſ. XXIV. cap. III. ſ. X.

13.

Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, ſicut [a] hæc exhibet nobis. Et fortaſſe noſter hic orbis [b] alterius inferioris terræ luna ſit.

---

a *Quæ illis nocturnum lumen exhibeat, ſicut* &c. Bon. *lumen exhibet nobis*: Manifeſta Librarii oſcitantia heic deprehenditur.

b *Et fortaſſe noſter hic Orbis* &c. Non ſolum Pythagoreus Icetas, quem Cicero L. IV. *Acad. quæſt.* 39. Nicetam appellat, duas poſuit terras, nempe hanc, quæ a nobis incolitur, & *Antichthona*, ſive telluri noſtræ oppoſitam aliam, ut Plut. L. III. *de Placit. Ph.* cap. IX. refert; verum Carteſius, aliique poſt ipſum, terram hanc, quam calcamus, Sydus eſſe, aſſeruit *in Princ.* Philoſoph. part. IV. num. 2. p. 137. edit.

edit. Amſtelod. 1692. Immo Galilæi ſententia eſt, terram noſtram majus lumen in Lunam ipſam inferre, quam luna in terram dimittat, ut ubi ſupra viſuri ſumus.

14.

Fuiſſe Seneca inter Stoicos ait [a], qui deliberaret, utrum ne Soli quoque ſuos populos daret: inepte ſcilicet [b] qui dubitaverit. Quid enim perderet, ſi dediſſet? Sed, credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret, ne ſi æſtu nimio periſſent [c], ipſius culpa eveniſſe tanta calamitas diceretur.

CAP.

a *Fuiſſe Seneca inter Stoicos ait*: Bon. *Senecam inter Hiſtoricos ait*: In Senecæ libris, qui ſuperſunt, hoc non legitur; neque inter antiquos aliquem id aſſeruiſſe unquam vidi. Inter recentiores vero non deſunt, ut ſuo loco viſuri ſumus.

b *Inepte ſcilicet* &c. Ironice, atque eleganter dictum.

c *Ne ſi æſtu nimio periſſent*: Al. *periiſſent*. Iccirco in ſolis centro aliqui damnatorum animas, igne æterno torquendas relegarunt; in circumferentia vero alii Pyriabas, & Pyrauſtas locavere. Vide diſſ. XXIV. cap. III. §. X.

C A P. X X I V.

I.

QUid illi, qui eſſe contrarios veſtigiis noſtris Antipodas putant [a], num aliquid loquuntur? aut eſt quiſquam tam ineptus, qui credat eſſe homines, quorum veſtigia ſint ſuperiora, quam capita [b]? aut ibi

a *Contrarios veſtigiis noſtris Antipodas putant*: Quamquam Laertius L. VIII. ſeg. 26. Pythagoram docuiſſe dixerit; *Eſſe Antipodas, nobiſque obverſa veſtigia premere*; Idem tamen Laertius L. III. ſeg.24. de Platone ex Phavorino loquens ait; *& primus in Philoſophia nominavit Antipodas*; de quibus deinde non ſolum dubitarunt plurimi; verum etiam opinionem eos adſtruentem ex animo impugnarunt: inter quos aliqui ante Lactantium, alii poſt ipſum. Ante illum eſt Plutarchus in libello acephalo *de facie in orbe lunæ*. Lucr. L. I. a ℣. 1067. Poſt illum vero fuerunt Baſilius, Chryſoſtomus, aliique, quibus omnibus in diſputatione præſtat Auguſtinus. Ex eorum argumentis id mihi erui poſſe videtur, diverſimode ſatis hanc controverſiam ab antiquis agitatam fuiſſe, quoniam non ab omnibus eodem modo terrarum orbem ſtatui, incoli, & habitari undique credebatur, quod fuſius demonſtratur a nobis diſſ.XXIV. c.IV. §.IV.

b *Quorum veſtigia ſint ſuperiora quam Capita?* Plutarchus ubi ſupra, hoc idem argumentum pluribus urget interrogationibus. De Demonacte vero narrat Lucianus in ejus vita, quod phyſicum *quendam de Antipodibus diſputantem, excitavit, & ad pu-*

ibi quæ apud nos jacent, inverſa pendere? fruges, & arbores deorſum verſus creſcere? pluvias, & nives, & grandinem [c] ſurſum ver-

---

puteum deducto oſtendit in aqua umbram, interrogans: Tales igitur ais eſſe Antipodas? Ridens ſcilicet illius opinionem, quam riſere etiam Scriptores ſuperius recenſiti; & icciirco Moſes Solanus ad Luciani locum ſcite annotavit: *Hoc ſaltem diſcere licet, cavendum viris bonis, ne dum quæ non intelligunt, vituperant, riſum, & jocum peritioribus præbeant.* Quæ cui aptanda ſint, infra videbimus.

c *Et nives, & grandinem.* Al. *& grandines:* Dilemmate utitur heic Lactantius, quo evincat, aut apud Antipodas omnia in Cælum pendere inverſa, aut è Cælo ſurſum verſum gravia in terram decidere; ſed Macrobius, ætate paullo Lactantio inferior, argumentum quoad utramque partem geſtit diſſolvere L. 1. *in Somn. Scipion.* cap. XXII., ubi ex terræ ſitu; qui medius eſt, & imus, mundi centro in ea ſtatuto, illuc omnia ferri ex quacumque cæli parte neceſſarium concludit: *Quod qui reſpuit*, inquiens, *ſupereſt, ut exiſtimet, extra hanc ultimam ſuperficiem, quam incolimus, quidquid nivium, imbriumve, vel grandinum cadit, hoc totum in Cælum de aere deſluere.* At huic doctrinæ ſeſe opponunt Alii. Plutarchus in primis, qui ait: *Nonne rapidus aquæ fluxus delapſus, ubi ad medium pervenerit, quod eſt ipſorum ſententia punctum corporis expanſi, ſubſiſtet, & circa polum illum circumſcindetur, illicque perpetuo librabitur, ac pendebit?* Ita certe contingat neceſſe eſt, ſi idem centrum terræ ab univerſi centro diverſum ſit, quod Pythagoreos Antipodum aſſertores ex alia parte affirmaſſe mox viſuri ſumus.

verſus cadere in terram [d] ? Et miratur aliquis hortos penſiles [e] inter ſeptem mira narrari, quum philoſophi & agros, & maria, & urbes, & montes penſiles [e] faciant ? Hujus quoque erroris apirienda nobis origo eſt.

---

d *Cadere in terram* : Si ad c. antecedentis ſeg. 13. hæc referantur, de qua nam terra intelligenda ſint ? facile quiſpiam dubitare poterit; nam non ſolum, ut ibidem diximus, Icetes Pythagoreus; ſed etiam Philolaus, ejuſdem ſcholæ nobilis alumnus, duas terras, invicem oppoſitas, ac ignem inter utramque, medium, tamquam Univerſi Larem, ſtatuiſſe dicitur a Plutarcho *de Plac. Phil.* L. III. cap. XI. vel ſaltem in hac hypotheſi urgere magis antecedens argumentum, quilibet de ſe videre peterit. Quin & vim acquiret maximam, ſi aut cum iiſdem Pythagoreis, terram circa immotum ſolem errantem dixeris, aut ſi cum Epicuro vacuum admittatur. Tunc enim rectiſſime Lucretius argutabit: L. I. a ℣. 1069.

Nam medium nihil eſſe poteſt, ubi inane, locuſqe
Infinita: neque omnino, ſi jam medium ſit,
Poſſet ibi quicquam hac potius conſiſtere cauſſa,
Quam quamvis alia longe regione maneres.
Omnis enim locus, ac ſpatium, quod inane vocamus,
Per medium, per non medium, contendat oportte
Æque ponderibus, motus quacunque feruntur.

e *Hortos penſiles* : Non quos memorat Plinius L. XXXVI. cap. XIV. apud Ægyptias Thebas fuiſſe; ſed illos a Semiramide, excitatos, de quibus Martialis L. I. Ep. I.

Aſſiduus jactet nec Babilona labor

aut quorum ibidem mentio fit:

Aëre nec vacuo pendentia Mauſolea
Laudibus immodicis Cures in aura ferant.

Hi enim ſunt, qui inter ſeptem mira narrantur. Vide Diodor. l.III. cap.IV. Q. Curt. L. v. Dionyſ. Perieg. 1010. Plin. L. XIX. c. IV.

2.

Nam ſemper [a] eodem modo fâlluntur. Quum enim falſum aliquid in principio ſumpſerint, veriſimilitudine inducti, neceſſe eſt, eos in ea, quæ conſequuntur incurrere [b]. Sic incidunt in multa ridicula [c], quia neceſſe eſt falſa eſſe, quæ rebus falſis congruunt.

a *Nam ſemper* &c. Bon. *& tam* &c. Ad Lucretium reſpicit, qui ubi ſupra canit.
Sed vanus ſtolidis hæc omnia fecerit error;
Amplexi quod habent perverſe prima viai.

b *In ea, quæ conſequuntur incurrere.* Al. *currere.*

c *Sic incidunt in multa ridicula:* Al. *incedunt.* Plutarchus de hac eadem re ubi ſupra loquens ait: *Verum philoſophi audiendi non ſunt, quando abſurda abſurdis volunt evertere, impugnantque admirabiles ſententias, utentes ad hæc aliis a ratione magis etiam alienis, quemadmodum h nunc lationem ad medium introducunt, cui quid non ineſt abſurdi?*

3.

Quum autem primis habuerint fidem: qualia ſint [a] ea, quæ ſequuntur, non circumſpiciunt, ſed defendunt omni modo: quum

a *Qualia ſint.* Bon. *& alii ſunt.* Lego cum Aldo.

quum debeant [b] prima illa, utrum ne vera ſint, an falſa, ex conſequentibus judicare.

b *Quum debeant*. Bon. *tamquam debeant*.

4.

Quæ igitur illos ad antipodas [a] ratio perduxit? Videbant [b] ſyderum curſus in occaſum meantium; ſolem, atque lunam in eandem partem ſemper occidere, atque oriri ſemper ab eadem.

a *Quæ igitur illos ad Antipodas* &c. Al. omiſſo *ad*; *ratio produxit*. Forte non male.
b *Videbant*. Al. *videbunt*. Al. *viderant*.

5.

Quum autem non perſpicerent, quæ machinatio curſus eorum temperaret, nec quomodo ab occaſu ad orientem remearent: cælum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe devexum [a], quod ſic videri, propter im-

a *Cælum autem ipſum in omnes partes putarent eſſe devexum*: Bon. *Cælum ipſum homines in partes* &c. Al *divexum*. Ad Virgilium reſpexiſſe Noſter videtur Georg. L. I. ℣. 241.

Mundus ut ad Scythiam, ripheaſque arduus arces
Conſurgit, premitur Libyæ devexus in Auſtros.

Ubi ſervius. *Jam hic definitio eſt noſtri climatis. I.e. noſtræ habitationis: quæ a ſeptentrione incipiens in Auſtrali deſinit plaga ..... Sane aliqni mundum pro Cælo accipiunt hoc loco, qui mundum, nomen volunt eſſe*

immenſam latitudinem neceſſe eſt: exiſtimaverunt rotundum eſſe mundum, ſicut pilam [b], & ex motu ſyderum opinati ſunt, cælum volui [c]: aſtra, ſolemque, occidere, & volubilitate ipſa mundi ad ortum referri [d].

Ita-

---

eſſe univerſæ Naturæ. Confer cum his, quæ idem author habet ad ℣. 243., & ad Æn. VII. 226., & notum tibi erit, Antipodas illi eſſe infernas ſedes habitantes, aut populos, ad qnos iter eſſet mortalibus intercluſus; Unde Tiberianus Epiſtolam fingit vento ab Antipodibus allatam, cujus inſcriptio eſt: SUPERI INFERIS SALUTEM, ut idem ipſe Servius annotat ad L. VI. æn. ℣. 532. Diſce hinc quos Antipodas impugnabat Lactantius.

b *Rotundum eſſe mundum, ſicut pilam* Bon. *rutundam*: Sic ex antiquis ſenſiſſe ex Stobæo videntur Leucippus, Democritus, Plato, Pythagoras; quamquam Empedocles inter Pythagoreos philoſophus inſignis, ὠοῦ figuram mundo potius tribuiſſe dicatur.

c *Cælum volui*: Quidam heic, neſcio qua ratione, hæc omnia a Lactantio impugnari dicunt, ubi tamen generatim philoſophorum refert opiniones.

d *Aſtra, ſolemque occidere, & volubilitat. ipſa mundi ad ortum referri*. Depravatam in aliis lectionem ſic primus ex noſtro Bon. Ms. Cod. reſtituo, ubi alii legunt: *Sic Aſtra, ſolemque quum acciderint, volubilitate* &c. En igitur Syſtematis Pythagoræ, ac Philolai, & Ariſtarchi deſcriptio, in quo, etſi inerrantia Sydera, & ſolem moveri quidem oſtenditur; revera tamen immobiliter ſtare putantur, & ſola mundi volubilitate, apparenter occidere, & oriri:

dum

dum interea utraque terra, noſtra ſcilicet, & Antichthon, pari prorſus celeritate circa ſe ipſas, ac univerſi centrum volvantur ita profecto, ut incolæ unius alterius incolas numquam videre poſſint, quoniam ſemper unis ſuperiora ſunt, quæ aliis inferiora cenſentur.

6.

Itaque & æreos orbes [a] fabricati ſunt, quaſi ad figuram mundi [b], eoſque cælarunt portentoſis quibuſdam ſimulachris, quæ aſtra eſſe dicerent.

a *Ita æreos orbes* &c. Bon. *æris orbes* Vide ad L. II. cap. v. ſeg. 18. quæ de Archimedis ſiculi ſphæra diximus, & adde ejuſdem Archimedis teſtimonium de Ariſtarcho quod in *Arenario* hiſce verbis reliquit: *Ariſtarchus ſupponit inerrantia quidem Sydera, & ſolem manere immobilem: Terram autem ferri per circumferentiam circuli, qui in medio curſu poſitus reperitur*.

b *Ad figuram mundi*: Hoc ultimum verbum Bon. non habet.

7.

Hanc igitur cæli rotunditatem illud ſequebatur, ut terra in medio ſinu ejus eſſet concluſa [a]. Quod ſi ita eſſet, etiam ipſam ter-

P 3 ram

a *In medio ſinu ejus eſſet concluſa*: Variabant in hoc Pythagorei, & alii quidam philoſophi, qui diverſa inter ſe placita miſcuiſſe videntur. Nam Heracli-

ram globo ſimilem [b]: neque enim fieri poſſet, ut non eſſet rotundum, quod rotundo concluſum teneretur.

raclides Ponticus, & Ecphantus terram de loco in loco non movebant, quamquam motum illi circa axem ſuum concederent ex Plut. de Plac. L. III. cap.XIII. Anaximander apud Laert. L. II. ſeg. 1. in medio loco terram reperiri, afferere videtur, centri ad inſtar; quamquam apud Eudemum in *hiſt. Aſtrologica*, teſte Theone, docuiſſe dicatur, terram ſublimem eſſe, & circa mundi medium moveri. Cui etiam Plato ſubſcripſiſſe opinioni traditur, quum ait; *Terram eſſe antiquiſſimam omnium, qui eſſent in Cælo Deorum;... eamque quum media ſit, circa medium moveri*. Apud Laert. L. III. ſeg. 75. Leucippus, & Democritus eam in Auſtrum deprimunt. Plut. de Plat. L. III. cap.XII. Xenophanes vero terram primam in infinitam profunditatem radices mittere ex inferiori parte exiſtimabat. Vide Ariſtotel. L. II. *de Cælo* cap. XIII.

b *Etiam ipſam globo ſimilem*: Alluſiſſe heic Noſter videtur ad nobiliſſima Ovidii Carmina Faſt. VI. pag. 660. ỿ. 15.

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa &c.

8.

Si autem rotunda etiam terra eſſet, neceſſe eſt, ut in omnes cæli partes eandem faciem gerat [a], id eſt montes erigat, campos

a *Neceſſe eſt, ut in omnes Cæli partes eandem faciem gerat*. Totam hanc periocham male vexatam in noſtro Bon. Ms. Cod. ſic reperio: *Neceſſe eſt, ut omnes*

pos tendat, maria conſternat. Quod ſi eſſet, etiam ſequebatur illud extremum, ut nulla ſit pars terræ [b], quæ non ab hominibus, cæteriſque animalibus incolatur. Sic

P 4 pen-

omnes Cæli partes eandem faciem gerant. Quæ quum minime ſequentibus congruant, eo modo, quo in aliis omnibus leguntur exhibemus. Senſus autem eſſe putamus. Terram in Cælorum ſinu concluſam ſemper eandem undique apparere in hac hypotheſi debere:

...... Quia nempe eadem ſe prabet imago,
Vel ſi ſpectator, vel ſi ſpectata moventur.

Ut cecinit Polign. in *Anti*-Lucr. L. VIII. a ℣. 169.

b *Ut nulla ſit pars terræ* &c. Quamquam antiquis non omnino ignotum fuit maritimum iter ad extremas orbis partes late patere, & Antipodas inter ſe populos, ut inquit Strabo Geographorum facile princeps L. I. pag. 5. quodammodo eſſe, iidem neſcii non erant; tamen ut ſeg. I. diximus, terram undique habitabilem non crediderunt, vel quia pleraque ejus pars aquis Oceani immerſa dicebatur, iiſdemque diviſa, vel torridam, quam dicunt Zonam, inhoſpitam, ac imperviam exiſtimabant. Hinc idem Strabo ubi ſupra, totius terræ unicam ſolummodo partem habitari, dixit ſæculo Eccleſiæ primo ineunte. Auguſtinus vero ſæculo IV. labente idem aſſeruit L. XVI. *de Civ. Dei* L. XVI. cap. IX. Nec certum, exploratumque fuit totum orbem circumnavigari poſſe, niſi poſtquam ſæculo proxime præterito Chriſtophorus Columbus primum, deinde Americus Veſputius, mox Ferdinandus Magellanus, felicibus, ac pene incredibilibus auſis ignotam hactenus Europeis terram percalcarunt, & inde Sebaſtia-

no

pendulos iſtos antipodas cæli rotunditas adinvenit [c].

no de Cano datum eſſet, ut Navigii illius ductor fieret, quod univerſo terrarum orbe trium annorum, & unius menſis intervallo, navigatione emenſo, Hiſpalim, unde Magellanus ſolverat, reduceret. Cæterum eodem teſte terras in auſtralem partem reliquit, quas *Tuberones*, ſeu *Infortunatas* idem Magellanus appellari propterea voluit, quod nec homines, nec ad victum neceſſaria illuc reperire potuiſſet.

c *Cæli rotunditas adinvenit.* Bon. *rutunditas.* Pendulos dixit Antipodas, quoniam ablata a terra ratione centri, eos in aliud centrum pendere, neceſſe eſt.

9.

Quod ſi quæras ab iis, qui hæc portenta defendunt, quomodo [a] non cadunt omnia in inferiorem illam cæli partem? reſpondent, hanc rerum eſſe naturam [b], ut pondera in me-

a *Quomodo ergo*: Al. hanc ſecundam vocem omittunt. Aldus eam retinet.

b *Reſpondent hanc rerum eſſe naturam* &c. Hoc argumentum Peripateticorum eſt, qui *ſupponendum eſſe*, ut Strabo ait ubi ſupra p. 8. *putabant: Mundi formam eſſe rotundam, & rotundam eſſe terræ ſuperficiem. Id etiam ante iſta: corporum ſcilicet curſum ad medium deferri.* Sed hæc demonſtranda, non ſupponenda erant ad hoc ut Lactantius, & Auguſtinus, aliique Peripateticorum placitis acquieſcerent. Nam Pythagorei, ut mox videbimus diverſa ratione pugnabant.

medium ferantur, & ad medium connexa [c] ſint omnia, ſicut radios videmus in rota: quæ autem levia ſunt, ut nebula [d] fumus, ignis;

---

c *In medium ferantur, & ad medium connexa.* Bon. *in medium connexa*: deletis iis, quæ mediant: In hac Ariſtotelica hyppotheſi Antipodes penderent, & non penderent. Non penderent quidem, quia quum ſuapte natura omne grave ad centrum tendat, contra illius naturam eſſet ſi ad circumferentiam inclinaret; penderent vero, quoniam a multitudine corporum jam impleto medio, ad circumferentiam neceſſario deflecterent, ac per ejus latera quum decidere non poſſent in concavum ambiens, in convexi partibus extra medium penderent, quoniam medii ratio non ſolum impedita, verum etiam per inæqualem corporum acceſſionem ad terræ ambitum, deſtructa eſſet ſpherica ipſius, quæ putabatur, figura.

d *Quæ autem levia ſunt, ut nebula* &c. Quidam particulam *ut* non habent, quæ tamen neceſſaria eſt ad exempla indicanda. Exempla vero inducta nihil conficiunt. Nam Polign. Anti-Lucr. L. IV. a ℣. 707. docet:

. . . . . . Non quod levis hæc propria vi,
Aut gravis illa ſuo ſit pondere: Sed quia centrum
Verſus, inæquali pulſu, ac ratione feruntur

Centrum autem non in terra: L. VIII. a ℣. 101.

. . . . Sed ſolem
In centro poſuit . . . .

Ne autem in ſolem omnia pendere crederentur, eodem L. VIII. ℣. 735. ait

Non prorſus medium ſol igneus occupat orbem,
Nec vero in centro eſt . . . .

A qui-

ignis, a medio deferantur [e], ut cælum petant.

A quibus contradictionibus, ut ſe liberaret Copernicus, tot conſtituit centra; quot corpora; & iccirco apud eundem L. VIII. ℣. 128.

Quoque loco ſedet hic mundi conſiſtere centrum
Vult, & ait: quoties terra inclinata recludet
Parte aliquam Cæli non viſam, ea ſurgere ſigna
Continuo; quoties elatior abdet Horizon
Hæc eadem mergi, & ſub ſe collapſa putabit.

e *A medio deferantur*: Bon. *differuntur*. Al. *differantur*. Al. *deſeruntur*.

10.

Quid dicam de iis neſcio, qui, quum ſemel aberraverint [a], conſtanter in ſtultitia perſeverant, & vanis vana defendunt, niſi quod eos interdum puto, aut joci cauſa philoſophari, aut prudentes, & ſcios [b] mendacia defendenda ſuſcipere, quaſi, ut [c] ingenia ſua in malis rebus exerceant, vel oſtentent [d].

At

a *Aberraverint*. Al *aberaſſent*. Al. *aberraverunt*.

b *Et ſcios*: Idem vocabulum Noſter uſurpavit L.II. cap. XIV. ſeg. 6. quod, ut rarum apud Latinos notavit Muncker. ad Hyginum in indice V. R. Vide tamen Voſſium *in Etym.* Nonius vero L. V. 29. *Scius*, inquit, *& conſcius hoc differunt*: *quod ſcius ſecum*; *Conſcius cum alio ſcius eſt* &c. Bon. *& inſcios*.

c *Quaſi ut*: Primam vocem Heum. expungi jubet.

d *Oſtentent*. *At ego*: Bon. *oſtendant adeo*.

II.

At ego multis argumentis probare poſſem, nullo modo fieri poſſe, ut cælum terra ſit inferius [a], niſi & liber jam concludendus eſſet, & adhuc aliqua reſtarent, quæ magis ſunt [b] præſenti operi neceſſaria, & quoniam ſingulorum errores percurrere non eſt unius libri opus: ſatis ſit pauca enumeraſſe [c], ex quibus poſſit, qualia ſint cætera, intelligi.

a *Ut Cælum terra ſit inferius*. Supra, & infra relativa ſunt, quæ multifariam poſſunt intelligi, & explanari. Qua autem ratione id intellexerit Lactantius eruendum eſt ex placitis Philoſophorum, cum quibus diſputabat, ac propterea cum de Syſtemate Pythagorico agemus, in eo Cælum terra inferius demonſtrabimus ex iis, quæ innuimus ad c. xx. ſeg. 12.

b *Magis ſunt*: Bon. *ſint*.

c *Enumeraſſe*: Bon. *enarraſſe*.

CAP. XXV.

I.

NUnc pauca nobis de philoſophia in communi [a] dicenda ſunt, ut confirmata cauſſa peroremus [b]. Summus ille [c] noſter Platonis imitator exiſtimavit, philoſophiam non eſse

a *In communi*. Al. *in commune*.

b *Ut confirmata cauſsa peroremus*. Bon. *confirmatam cauſam*. Sic etiam Aldus.

c *Summus ille*. Bon. addit *Cicero*, quod omnes putant eſſe gloſſema. Aldus quoque id nomen habet.

eſſe vulgarem, quod eam non niſi docti homines aſſequi poſſint [d].

d *Aſſequi poſſint*. Al. *poſſit* male.

2.

Eſt; inquit, *philoſophia paucis contenta judicibus, multitudinem conſulto ipſa fugiens*. Non eſt ergo ſapientia, ſi ab hominum cætu abhorret, quoniam ſapientia ſi [a] homini data eſt, ſine ullo diſcrimine omnibus data eſt, ut nemo ſit prorſus, qui eam capere non poſſit.

a *Quoniam ſapientia ſi homini* &c. Al. *Quoniam igitur* &c. Al. *quoniam ſi ſapientia*. Videtur heic Lactantius ad illud Johan. 1. v. 9. reſpexiſſe *erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Jeſus enim in mundum venit, ut fidei ſuæ luce omnes homines perfunderet; ubi Græcus apud Grotium pro *venientem*, legit *veniens*. *Erat lux veniens in mundum, & illuminans omnem hominem* &c. Vide Auguſt. L. 1. de *Peccat. Merit. c.* 25. Unde falſo, & iniquiſſimo jure Cicero, & quilibet ex Ethnicis Philoſophis ſibi tribuebant ſolis; veritatem cognoſcere; quum lux illa Cæleſtis deſcendens a Patre luminum vere omnem hominem illuminet; niſi quis inter eos tenebras amans, oculos ſuos claudat ante eam; juxta illud ejuſdem Evang. cap. III. v. XIX. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem*. Hinc optime proſequitur Lactantius.

3.

At illi virtutem humano generi datam ſic

am-

amplexantur, ut ſoli omnium publico bono frui velle videantur, tam invidi, quam ſi velint deligare oculos [a], aut effodere cæteris, ne ſolem videant.

a *Deligare oculos*. Al. *obligare*. Al. *claudere*, ſed *deligare* rectum eſt: dicitur enim *deligare vulnus deligare ad palum* &c. idemque valet ac *alligare*.

4.

Nam quid eſt aliud hominibus negare ſapientiam, quam mentibus eorum verum, ac divinum lumen auferre?

5.

Quod ſi natura hominum [a] ſapientiæ capax eſt oportuit, & opifices, & ruſticos, & mulieres, & omnes denique, qui humanam formam gerunt, doceri, ut ſapiant, populumque ex omni lingua, & conditione, & ſexu, & ætate conflari.

a *Quod ſi natura hominum*. Al. *hominis*.

6.

Maximum itaque argumentum eſt, philoſophiam neque ad ſapientiam tendere [a], neque ipſam eſſe ſapientiam, quod myſterium ejus barba tantum celebratur, & pallio [b].

a *Neque ad ſapientiam tendere* Bon. *neque ſapientiam oſtendere* ſic etiam Aldus.

b *Quod myſterium ejus barba tantum celebratur, & pallio*. Mos erat Philoſophis, præſertim Græcis, pro-

prolixa barba, & demiſſio pallio incedere. Quare ſcite apud Gellium L. XIII. cap. VIII. Macedo Philoſophus ait: *Ego odi homines ignava opera, & philoſopha ſententia. Nihil enim fieri poſſe indignius, neque intollerantius, dicebat, quam quod homines ignavi, ac deſides, operti barba, & pallio, mores, & emolumenta philoſophiæ in linguæ, verborumque artes converterent*; & Herodes Atticus apud eundem L. IX. cap. II. quum ad ſe adiiſſet *palliatus quiſpiam, & crinitus, barbaque prope ad pubem uſque porrecta, ac petiiſſet æs ſibi dari ad panes emendos, illum interrogavit: quiſnam eſſet; atque ille vultu, ſonituque vocis objurgatorio quum reſpondiſſet, Philoſophum ſeſe eſſe, mirarique, cur quærendum putaſſet, quod videret. VIDEO inquit Herodes BARBAM, ET PALLIUM, PHILOSOPHUM NON VIDEO.* Vide ſupra ad c. VII. ſeg. 10.

7.

Senſerunt hoc adeo Stoici, qui & ſervis, & mulieribus philoſophandum eſſe dixerunt: Epicurus quoque, qui rudes omnium literarum ad philoſophiam invitat: item Plato, qui civitatem de ſapientibus voluit componere.

8.

Conati quidem illi ſunt facere, quod veritas exigebat, ſed non potuit ultra verba procedi. Primum, quia multis artibus opus eſt, ut ad philoſophiam poſſit accedi.

Di-

9.

Diſcendæ [a] iſtæ communes lireræ, propter uſum legendi, quia in tanta rerum varietate, nec diſci audiendo poſſunt omnia, nec memoria contineri.

a *Diſcendæ &c.* Vide heic deſcriptum a Lactantio modum, quo Adoleſcentuli, ac juvenes paulatim etiam tunc informabantur; & quomodo ad philoſophiam Grammaticis, Oratoria, Geometria, Muſica, & Aſtrologia neceſſariæ putarentur.

10.

Grammaticis quoque non parum operæ dandum eſt, ut rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat neceſſe eſt.

11.

Nec oratoria quidem ignoranda eſt, ut ea, quæ didiceris, proferre, atque eloqui poſſis. Geometria quoque, [a] ac Muſica, & Aſtrologia neceſſaria eſt, quod hæ artes cum philoſophia habent aliquam ſocietatem.

a Cicero, & Plato hæc eadem pluries inculcant.

12.

Quæ univerſa perdiſcere neque fœminæ poſſunt, quibus intra puberes annos officia mox uſibus domeſticis profutura diſcenda ſunt: neque ſervi, quibus per eos annos vel maxime ſerviendum eſt, quibus poſſent diſcere: neque pauperes, aut opifices, aut ruſtici, quibus in diem victus labore eſt quærendus. Ob eam cauſſam Tullius ait, abhorrere a multitudine philoſophiam. At

13.

At enim rudes Epicurus accipiet. Quomodo ergo illa, quæ de principiis rerum dicuntur, intelligent? quæ perplexa, & involuta, vix etiam politi homines aſſequuntur.

14.

In rebus igitur obſcuritate implicitis, & ingeniorum varietate confuſis, & eloquentium virorum exquiſito ſermone fucatis, quis imperito, ac rudi locus eſt?

15.

Denique nullas unquam mulieres philoſophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themiſten [a], neque ſervos, præter unum

---

a *Præter unam ex omni memoria Themiſten*. Plurimæ fuerunt Fœminæ, quæ Philoſophicis ſtudiis operam navarunt, quarum ſexaginta quinque recenſet Menagius in ſua de illis hiſtoria, ſed de his heic ſermo non eſt, ubi ſolum dicitur, placitum philoſophorum fuiſſe, mulieres philoſophari non debere. Iccirco Martialis:

Sit mihi verna ſatur, ſit non doctiſſima Conjux.

Verum hæc Themiſto, ſeu Themiſten adeo in philoſophicis ſtudiis excelluit, ut Cicero in Piſonem eo ſit uſus proverbio: *Licet Themiſte ſapientior*. Patria fuit Lampſacena, Secta Epicurea, filia Zoili Lampſaceni, & uxor Leontei conterranei ſui, ex quo filium ſuſcepit nomine Epicurum. Vide Laert. in Epicuro L. x., ibidemque Gaſſendum L. 1. c. VIII. & corrige Lipſium L. 1. *Variar. Lection. cap. XVIII.* Qui pro Themiſte heic reponit, Themis, quam Ethnici Deam juſtitiæ eſſe putabant.

unum Phædonem [b], quem male ſervientem redemiſſe [c], ac docuiſſe Cebetem tradunt [d].

b *Neque ſervos præter unum Phædonem*. Bon. legit *Pythagoram* Aldus *Prothagoram*. Sed lectio noſtra præferenda, quum Phædoni, non autem Pythagoræ, aut Prothagoræ ea conveniant, quæ infra de illo a Lactantio dicuntur; Is quippe, ut ait Laertius L. II. ſeg. 105. Elienſis fuit, nobili familia natus; ſed una cum Patria captus, coactus eſt intra cellulam infami ſe quæſtui addicere. Adjecto tamen oſtiolo, Socratis acceſſu fruebatur, quoad uſque Alcibiades, ſeu Crito, Socrate adhortante, eum redimeret, ex quo liberaliter philoſophiæ operam dedit; Gellius vero diverſimode rem narrat, ut paullo infra dicemus. Adeo in philoſophiæ aſſiduus Socratis auditor excelluit, & Platoni charus, ut is dialogorum excellentiſſimum *de Animi immortalitate* ipſius nomine inſcriberet. Phædon Sectam inſtituit, quæ a Patria ſua *Eliaca* dicta eſt, quam etiam *Eretricam* appellant. Vide diſſ. XI. cap. XII. ſeg. I.

c *Redemiſſe, ac docuiſſe Cebetem tradunt*. Bon. *Cebetis* nomen omittit, quod etiam fecit Aldus. At tradit Gellius L. II. cap. XVIII. *Phædon ſervus fuit furma, atque ingenio liberali, & ut quidam ſcripſerunt, a Lenone Domino puer ad merendum coactus. Eum Cebes Socraticus, hortante Socrate, emiſſe dicitur, habuiſſeque in Philoſophiæ diſciplinis. Atque is poſtea Philoſophus illuſtris fuit &c.* Idem leges apud Macrobium, Gellii compilatorem L. I. c. XI. Conſule etiam Menagium, & Cauſabon. ad Laertium.

d *Cebetem tradunt*. Bon. *traduntur* Cebes Thebanus, unus ex Socratis auditoribus fuit, ſub cujus nomine etiamnum Tabula circumfertur, ex qua in

ex-

extremo commentarii ſui in Timæum, profert inſignem locum Chalcidius; eam tamen genuinam non eſſe, viri quidam docti contendunt; unde videndus heic Petitus *Miſcell. L. & cap.* IV. ubi controverſiam exagitat. De eo pauca habet Laertius L. II. ſeg. 125., Tertullianus in *lib. de Præſcript. adverſ. hæret. Ejus Pinacem* laudat.

16.

Enumerant etiam Platonem [a], ac Diogenem: qui tamen ſervi non fuerunt: ſed his ſervitus evenerat: ſunt enim capti [b]. Platonem quidem redemiſſe Aniceris [c] quidam tra-

---

a *Enumerant etiam Platonem*. Gellius, ubi ſupra, alios præter illos, quos heic recenſet Lactantius, ſervos refert, qui poſtea Philoſophi clari fuerunt; inter quos Diogenes Cynicus enumeratur, qui, quum ex libertate in ſervitutem veniſſet, eumque emere vellet Xeniades Corinthius, & quid artificii noviſſet percontatus fuerit; *Novi*, inquit Diogenes, *hominibus liberis imperare*. *Tum Xeniades reſponſum ejuſdem miratus' emit, & manumiſit; filioſque ſuos ei tradens*; *Accipe*, inquit, *liberos meos*, *quibus imperes*.

b *Qui tamen ſervi non fuerunt*, *ſed his ſervitutis evenerat*; *ſunt enim capti*. Servi enim alii ſunt qui ex liberis in ſervitutem rediguntur, ut de iis tribus dictum eſt; alii ſunt qui ſervi ex ſervis Domino naſcuntur, ut Romanæ leges, & Græcæ ſtatuerunt; ſecundum illud vulgatum adagium: *Partus ſequitur conditionem ventris*. I. E. matris.

c *Platonem quidem redemiſſe Aniceris*. Jam ſupra diximus, Platonem ſub utroque Dionyſio in Sicilia

traditur ſeſtertiis VIII. itaque inſectatus eſt convitiis redemptorem Seneca, quod parvo Platonem æſtimaverit.

lia non ſemper proſpera vixiſſe fortuna; heic addere neceſſe eſt, eum de Principis tyrannide acerbius locutum, Polidi, Lacedemoniorum Legato traditum fuiſſe, qui Æginæ venalem expoſuit. Aniceris Cyrenaicus quum forte fortuna ibidem eſſet, eum redemit xx., aut ut alii volunt, xxx. minis, & Athenas remiſit. Quamquam vero Platonis amici ſtatim Anniceridi pecuniam remiſiſſent, hic eam recipere noluit; aſſerens: *Non eos ſolos dignos eſſe, quibus Plato curæ eſſet*. Laert. L. II. ſeg. 19. Hunc Anniceridem Philoſophum, & auditorem Paræbatæ una cum Ægeſia facit Laert. L. II. ſeg. 86., quamvis hoc repuanare videatur Menagio, qui ideo hanc lectionem ſuſpectam habet, & duos Annicerides commemorat. Eum conſule ad Laert. in Platone.

17.

Furioſus, ut mihi quidem videtur [a], qui homini fuerit iratus, quod non multam pecuniam [b] perdidit; ſcilicet aurum appendere [c] debuit, tanquam pro mortuo Hectore [d], aut

a *Vt mihi quidem videtur*: Aldus, & Bon. Tò *quidem* omittunt.

b *Quod non multam pecuniam* ſic etiam Aldus. Al. *quod non multum pecuniæ*.

c *Appendere*: Aldus quoque ſic corrigit ubi alii *pendere legunt*.

d *Tamqaam pro mortuo Hectore*. Scilicet pro Hectoris cadavere, quod quum Achilles ad currum reli-

aut tantum ingerere numorum, quantum venditor non popoſcit?

ligatum circa Ilii muros traxiſſet, auro repenſum Priamo reddidit; unde Virgil. æn. L. 1. ỹ. 487.

Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros,
Exanimumque auro corpus vendebat Achilles

Cicer. autem L. II. de Orat. Verri objicit, *quod ei pro C. Gracchi capite erat aurum repenſum.*

18.

Ex Barbaris [a] vero nullum, præter unum Anacharſim Scytham [b]: qui philoſophiam ne ſomniaſſet quidem, niſi & linquam, & Græcas literas [c] ante didiciſſet. CAP.

a *Ex Barbaris* Barbari dicebantur antiquis omnes ii, qui eodem non loquerentur communi idiomate, præſertim Græcis; hæic vero de feris, atque inhumanis nationibus dictum eſt, ut ſtatim declarabimus.

b *Anacharſim Scytham*. Is Gnuri Scythæ ex matre Græca filius fuit, frater Caduicæ, ut Laertius, vel Saulii, ut Herodotus ait, Scytharum Regis, a quo ſagitta confoſſus interiit. De illius in lingua Græca imperitia, vide epiſtolam ad Athenienſes, quæ, & ſi ſuppoſititia ſit, ſub ejus tamen nomine Græce ſcripta circumfertur. Sapiens adeo fuit, ut non ſolum Solonis admiratione dignus, & amicitia fuerit, verum etiam nonnulli ſeptem ſapientum numero eum adſcribendum putarunt. Vide Clem. Alex. Strom I. & Maxim. Tyr. in diſſ. xv. Plura de eo Laert. L. 1. ſeg. 101. &c., & Athenæus L. XII. cap. v. ubi Scythas, ait, crudeles eſſe in captivos, & ſervos, unde merito inter barbaros a Lactantio recenſetur.

c *Niſi & lingam, & Græcas litteras*. Bon., & Aldus Iò *Græcas* non habent.

C A P. X X V I.

1.

QUod ergo illi poſcente natura [a] faciendum eſſe ſenſerunt; ſed tamen neque ipſi facere potuerunt, neque a philoſophis fieri poſſe viderunt [b]: ſola hæc efficit doctrina cæleſtis, quia ſola ſapientia eſt [c].

a *Poſcente natura*. Scilicet hominis, qui naturaliter veri ſcientiam appetit.

b *Fieri poſſe viderunt*. Bon. *fieri non poſſe* &c.

c *Quia ſola ſapientia eſt*. Chriſti Domini noſtri doctrinam intelligit, quæ unice vera ſapientia eſt, cujus initium eſt timor Domini. Bon. Cod. pro *ſapientia* habet *ſapiens*.

2.

Illi ſcilicet [a] perſuadere cuiquam potuerunt, qui nihil perſuadent etiam ſibi, aut cujuſquam cupiditates oppriment, iram temperabunt, libidinem coercebunt: quum ipſi & cedant vitiis, & fateantur plus valere naturam [b]?

a *Illi ſcilicet* &c. De Ethnicis Philoſophis loquitur, qui, etſi moribus pravi, alios tamen docebant, quæ ab ipſis minime agebatur.

b *Plus valere naturam?* Intellige corruptam, quæ ab Apoſtolo *lex carnis* dicitur, repugnans propterea legi mentis, I. E. rationis.

3.

Dei autem præcepta, quia & ſimplicia, & vera ſunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonſtrant.

4.

Da mihi virum, qui ſit iracundus, maledicus, effrænatus: pauciſſimis Dei verbis Tam placidum, quam ovem, reddum.

5.

Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam ſuam plenis manibus [a] largientem.

a *Plenis manibus*. Al. *propriis manibus*. Al. *propriis, pleniſque* &c.

6.

Da timidum doloris, ac mortis: jam cruces, & ignes, & Phalaridis taurum [a] contemnet.

Da

a *Et Phalaridis Taurum* Bon. *& periculum omne contemnet*: Al. *& pericula, & Taurum*. Al. *& Perilli taurum* Al. *& pericula, & Aurum*. Primas duas lectiones affert Aldus. Al. nec *pericula*, nec *periculum* habent; & bene; nam voces illæ ex *Phalaridis*, vel *Perilli* depravatis nominibus natæ ſunt. Vide ſupra cap. XIX. ſeg. 8.

7.

Da libidinoſum, adulterum, ganeonem [a], jam ſobrium, caſtum, continentem videbis.

a *Ganeonem*. Id eſt, *Tabernis* & conviviis operam dantem, ut bene ex Cortio ad Salluſt. in Catil. notavit heic Bunem.

8.

Da crudelem, & ſanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur.

9.

Da injuſtum, inſipientem, peccatorem: continuo & æquus, & prudens, & innocens [a] erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur [b].

a *Prudens, & innocens*. Aldus: *innocuus*.

b *Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur*. De Baptiſmo ita dictum intellige tam quantum ad doctrinam, qua imbuebantur hi, qui illum ſuſcipiebant; quam quantum ad peccati maculam; non autem quantum ad peccati fomitem, quem in nobis poſt regenerationem remanere, teſtatur Paulus ad Rom. Cap. VII. ℣. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati* &c. Cave tamen putes, legem peccati, qua quodammodo poſt baptiſmatis lavacrum trahimur inviti, neceſſitatem peccandi nobis inferre; non enim datur peccatum niſi voluntarium, ideoque S. Auguſtinus L. VIII. Cnnfeſſ. c. v. *Lex peccati eſt*, ait, *violentia conſuetudinis, qua tra-*

trahitur , & tenetur invitus animus , eo merito , quo in eam volens illabitur . Et quamvis ſolius naturæ viribus ſe non poſſe concupiſcentiæ motibus reſiſtere , ibidem fatentur Apoſtolus; attamen id poſſe gratia Dei per Jeſum Chriſtum manifeſtiſſime nos docet; poſt quam enim exclamaverat ibidem v. 24. *Infelix ego homo , quis me liberabit de corpore mortis bujus ?* ſtatim ſubdit v. 25. *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum . Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei : carne autem legi peccati .* Betulejus heic , & Gallæus doctrinam falſam , & hæreticam obtrudunt , dicentes , peccatum aboleri lavacro baptiſmatis , *non aquatici illius , qui , ut peccata non tollit , ita velamentum hypocriſeos eſt , eo ipſo quod ſignum tantum regenerationis eſt iis , qui vita , ac fidæ Chriſtianæ profeſſioni non reſpondet* &c. Hunc quippe errorem propugnarunt Proclus Origeniſta apud Epiph. Hær. LXIV. Meſſaliani apud Theod. L. IV. *Hær. Fab.* Hær. II. , eumque extumulavit Lutherus art. II. ex damnatis a Leene X. Calvinus in *Antidoto Concil. Triden. ſeſſ.* V. , & alii ejuſdem furfuris , contra quos eſt illud Ezech. XXXVI. v. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam , & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*, & definitum eſt , tamquam fidei articulum , per baptiſmum aquæ, ſecundum Eccleſiæ catholicæ ritum hominibus collatum , omne peccatum, ſive originale , ſive actuale præteritum tolli , ac remitti . Vide Concil. Carth. IV. c. I. Florent. in decret. Eugen. IV. Tridentin. ſeſſ. V. c. V. & diſſ. XXV. cap. II. ſ. II.

10.

Tanta divinæ ſapientiæ vis eſt , ut in hominis pectus infuſa , matrem delictorum

ſtul-

ſtultitiam uno ſemel impetu [a] expellat : ad quod efficiendum , non mercede , non libris , non lucubrationibus opus eſt .

---

a *Uno ſemel impetu.* Al. *ſimul.* Intellige ſecundum ſupra traditam doctrinam quæ ſemper fuit ; & , eſt Eccleſiæ catholicæ ſententia .

11.

Gratis iſta fiunt , facile , cito ; modo pateant aures , & pectus ſapientiam ſitiat [a] . Nemo vereatur nos : aquam non vendimus [b] , nec ſolem mercede præſtamus . Dei fons uberrimus , atque pleniſſimus [c] patet cunctis ; & hoc cæleſte lumen univerſis oritur , quicunque oculos habent .

Num

---

a *Modo pateant aures, & pectus ſapientiam ſitiat.* Al. *ſapientiam ſciat* . Ab adultis enim , ut Sacramentum ſimul , & effectus illius plene , & perfecte recipiantur, diſpoſitiones requiruntur ſecundum Concil. Trident. ſeſſ. VI. cap. VI. ubi Theologi eas declarant, eſſe fidem , intentionem , & ſaltem attritionem, quarum primam Lactantius innuit per ea verba . *Dummodo pateant aures* ; nam *fides ex auditu* , alias vero per ea quæ ſequuntur , ſcilicet ; *& pectus ſapientiam ſitiat* , Al. ſtatim addunt , *& pateat* .

b *Nemo vereatur : nos aquam non vendimus* . Al. *nemo vereatur nos* : *aquam* &c. calumnias heic Gallæus mendaciis de more cumulat adverſus Catholicos , quos ipſe *Papiſtas* vocat ; quaſi nos Sacramenta vendamus , illorumque ſimplicitatem immutemus . Vide in diſſ. XXV. cap. II. §. 11. Lact. eadem fere habet L. 1. c. 1. ſeg. 22. & lib. VII. c. XXVII.

c *Atque pleniſſimus* . Bon. *aquæ pleniſſimus* .

12.

Num quis hæc Philoſophorum aut unquam præſtitit, aut præſtare poteſt? Qui quum ætates ſuas in ſtudio Philoſophiæ conterant, neque alium quenquam, neque ſeipſos (ſi natura paullum obſtitit) poſſunt facere meliores. Itaque ſapientia eorum, ut plurimum efficiat, non exſcindit [a] vitia, ſed abſcondit.

a *Non exſcindit, ſed abſcondit*. Hæic Betulejus, Gallæus, aliiqui Calvini, & Lutheri doctrinis imbuti videant differentiam Baptiſmi, & quoniam ex Lactantio perperam interpretato nobis plurima obiiciunt, ex clariſſimis ejus verbis diſcant, hocce ſacramentum non abradere, non abſcondere, non tegere, ut ipſi ajunt, peccata; ſed prorſus tollere, delere, atque in nihilum redigere quantum ad culpam; immo quantum ad pænam etiam ei debitam, ſi rite ſuſcipiatur.

13.

Pauca vero Dei præcepta ſic totum hominem mutant [a], & expoſito vetere, [b] novum reddunt, ut non cognoſcas eundem eſſe.

a *Sic totum hominem mutant*. Al. immutant.

b *Et expoſitio vetere*. Al. *expuncto*. Al. *expoliato*. Al. *depoſito*. Al. *expolito*. Al. *ejecto*. Ego vero nihil immutandum cenſeo: tot varietates enim, quæ gloſſemata ſunt, lectionem confirmant, Lact. L. VII. c. V. eodem verbo utitur. *Homo cæleſti lavacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris*: Eadem phraſi loquuntur Cyprianus, Tertullianus,

nus, S. Paulinus Nolanus, aliique Patres, ut bene vidit heic Bunem. ſed adde Cicer., Livium, Plautum, & Columellam qui *exponere* uſurpant pro *abjicere*.

CAP. XXVII.

8.

QUid ergo? nihil ne illi ſimile præcipiunt? Imo permulta: & ad verum frequenter accedunt [a]: ſed nihil ponderis habent illa præcepta, quia ſunt humana, & authoritate majori, id eſt, divina illa carent [b].

a *Imo permulta: & ad verum frequenter accedunt*. Et quidem uon ſolum in phyſicis: verum etiam in moralibus. Non enim extinctum, ſed obſcuratum eſt, ſeu potius offuſcatum rationis lumen in homine quo, ſi velit, ſibi neceſſaria ad bene, juſteque vivendum comparare poſſit. Quamquam ſuis viribus ad vitam æternam promerendam ſeſe erigere non poſſit; unde ſequitur: *Sed nihil* &c.

b *Divina illa carent*. Bon. *divina illa terrent*. Al. pronomen omittunt.

2.

Nemo igitur credit, quia tam ſe hominem putat eſſe [a], qui audivit, quam ille, qui præcipit.

a *Quia tam ſe hominem putat eſſe*. Al. *quia tam ſi*.

3.

Præterea nihil apud eos certi eſt, nihil, quod

quod a ſcientia venit [a]. Sed quum omnia conjècturis agantur [b], multa etiam diverſa, & varia proferantur: ſtultiſſimi eſt hominis, præceptis eorum velle parere: quæ utrum vera ſint, an falſa, dubitatur, & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare.

a *Nihil quod a ſcientia venit*. Al. *veniat* Aldus *ad ſcientiam* Lactantius L. II. cap. VII. ſeg. 7. *Cujus diſputatio non ab ingenio, ſed a ſcientia venit*. Vide quæ ibidem a nobis dicta ſunt, & heic applica.

b *Sed quum omnia conjecturis agantur*. Scientia non conjecturis: ſed demonſtrationibus utitur: quod utinam intelligant aliquando noſtrorum temporum Philoſophi, ne in diſputando, tamquam pro principiis utantur propoſitionibus, vel dubiis, vel falſis, vel ad ſummum probabilibus, ex quibus vera demonſtratio confici nequit. Hinc qui illis utuntur, ſcientias obſcurant potius, quam illuſtrent, ingenia torquent, non expoliunt: quemadmodum ſæculis proxime præteritis quidam, ex Hiſpanis præcipue, quos ſcholaſticos dicimus, Theologiam, & morum diſciplinam vanis, inutilibus, ac periculo plenis diſputationibus, obruere velle viſi ſunt: contra quos Illuſtriſſimus Cano ex eadem Gente præclariſſime egit, & opus vere aureum ad Theologicas diſciplinas comparandas edidit, metodum diſputandi tradens, qua ſiquis utatur, tuto procedet.

4.

Virtutem eſſe, Stoici ajunt, quæ ſola effi-

efficiat vitam beatam [a]. Nihil poteſt verius dici. Sed quid ſi cruciabitur, aut dolore afficietur? Poterit ne quiſquam inter carnifices beatus eſſe? Imo vero illatus corpori dolor, materia virtutis eſt; itaque ne in tormentis quidem miſer eſt.

---

a *Virtutem eſſe*, *Stoici ajunt*, *quæ ſola efficiat vitam beatam*. Cicero L.v. Tuſcul. quæſt., & Senec. Ep. xcii. de hac ſententia agunt, quam ex Laertio L.vii. ſeg. 127. didicimus fuiſſe Zenonis, Chryſippi, & Hecatonis. Lactantius eam veram eſſe confitetur: ita tamen explicat, ut de ſola virtute dici queat, quæ fidem catholicam, tamquam radicem ſupponit, & charitatem tamquam formam. Non enim ad beatitudinem conſequendam ſufficit quæcumque virtus: ſed illa dumtaxat, quæ ex fide catholica, tamquam ex radice procedit, & per charitatem, tamquam ex forma operatur: *fides enim ſine operibus mortua eſt*. Iccirco caſtigandus heic erat Betulejus, non autem, ut fecit Langletius exſcribendus, dum ait: *quod virtus, quæ ex fide Chriſtiana naſcitur, ad æternam felicitatem conſequendam ſufficiat*: Hæc enim propoſitio hæretica eſt, a Simone Mago primum invecta, item ab Eunomio propuguatam, demum a Luthero, Calvino, aliiſque inde hujus furfuris hominibus traditam, contradicente Apoſtolo qui 1. ad Chorinth. cap. xiii. ℣. 2. ait: *Etſi habuero omnem fidem itaut montes tranſeram, charitatem autem non habuero. Nihil ſum* .... *Nihil mihi prodeſt*.

5.

Epicurus multo fortius: *Sapiens*, inquit, *ſem-*

ſemper beatus eſt : & vel incluſus in Phalaridis tauro [a] *hanc vocem emittet :*

Suave eſt, & nihil curo.

Quis eum non irriſerit? Maxime, quod homo voluptarius [b] perſonam ſibi viri fortis impoſuit [c], & quidem ſupra modum. Non enim fieri poteſt, ut quiſquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat: quum ſatis ſit, ad officium virtutis implendum, perferre, ac ſuſtinere.

a In Phalaridis tauro: Vide ad L. II. cap. iv. ſeg. 27. & heic cap. xix. ſeg. 8.

b *Homo voluptarius* : Vide ſupra ad cap. vii. ſeg. 7. ad cap. xiii. ſeg. 5.

c *Perſonam ſibi viri fortis impoſuit*: Hunc imitantur noſtrorum temporum viri, & ſpiritus illi fortes, quibus pro fortitudine impietas eſt, de quibus in Iſagoge §. xxiii. & ad L. II. cap. ix. Al. viii. ſeg. 14.

6.

Quid dicitis Stoici? Quid tu Epicure? Beatus eſt ſapiens, etiam quum torquetur [a]? Si propter gloriam patientiæ; non fruetur [b]: in tormentis enim fortaſſe morietur.

a *Etiam quum torquetur* : Bon. caret prima voce.

b *Si propter gloriam patientiæ ; non fruetur*. Aldus *patientia*. Al. hocce verbum omnino omittunt. Al. *Patientiæ præmio non foventur*. S. Hierony. in Iſaiam L. viii., & ad Gal. v. in quibuſdam exemplaribus epiſtolæ i. D. Pauli ad Corinth. ubi legimus :

ſi

tur. Si propter memoriam, aut non ſentiet, ſi occidunt animæ: aut ſi ſentiet, nihil ex ea conſequetur.

ſi tradidero corpus meum ita ut ardeam &c. legebat; *ſi tradidero corpus meum, ut glorier* &c. quam lectionem in edit. Vecheliana invenimus. Fulvius Orſinus vocem illam *patientiæ* ſupervacuam putat propterea quod infra habetur: *Ita ſit, ut nihil aliud ex virtute captetur, niſi gloria* ſeg. 8.

7.

Quis ergo alius in virtute fructus eſt [a]? quæ beatitudo vitæ? Ut æquo, *ajunt*, animo moriatur [b]. Bonum mihi affertis unius horæ, aut fortaſſe momenti, propter quod non expediat in tota vita miſeriis, & laboribus confici.

---

a *Quis ergo alius in virtute fructus eſt*: Al. verba poſtponunt.

b *Ut æquo, ajunt, animo moriamur*. Bon. omiſſis duabus primis vocibus, alias ſolummodo ponit. Al. *moriamur*.

8.

Quantum autem temporis mors occupat? quæ quum venit, utrum æquo animo, an iniquo eam ſubieris [a], jam nihil refert. Ita fit, ut nihil aliud ex virtute captetur niſi gloria. Sed

---

a *Quæ quum venit, utrum æquo animo, an iniquo eam ſubieris*. Bon., & Aldus non habent *aut iniquo*. Al. *quum veniat*.

Digitized by Google

9.

Sed hæc aut ſupervacua, & brevis eſt, aut pravis hominum judiciis non ſequetur [a]. Nullus igitur ex virtute fructus eſt, ubi virtus mortalis eſt, & caduca.

---

a *Aut pravis hominum judiciis, non ſequetur* ſic etiam Aldus. Al. carent particula *non*. Al. pro *ſequitur* habent *ſequenda*. Al. *ſequitur*.

10.

Itaque qui hæc locuti ſunt, umbram quandam virtutis videbant, ipſam virtutem non videbant [a]. Defixi enim [b] fuerunt in terram, nec vultus ſuos in altum erigebant, ut eam poſſent intueri, quæ ſe ſe

. . . . . . *a Cæli regionibus oſtentabat*.

---

a *Umbram quandam virtutis videbant, ipſam virtutem non videbant*. Aldus nobiſcum legit Al. *viderunt* . . . *non viderunt*.

b *Defixi enim*. Al. *deflexi*.

c *Quæ ſe ſe a Cæli regionibus oſtentabat* Lucret. L. 1. verſ 65. *Quæ caput a Cæli regionibus oſtendebat*. Aldus: nobiſcum legit. Al. præpoſitionem omittunt. Al. *religionibus*.

11.

Hæc cauſſa eſt, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad vitia erudiunt, ſi voluptatem defendunt: aut, ſi virtutem aſſerunt, neque peccato pænam mi-

minantur, niſi ſolius turpitudinis: neque virtuti [a] ullum præmium pollicentur, niſi ſolius honeſtatis, & laudis: quum dicant, non propter aliud, ſed propter ſeipſam expetendam eſſe virtutem.

a *Neque virtuti:* Al. *virtutis*. Al. *virtute*,

12.

Beatus eſt igitur ſapiens in tormentis: ſed quum torquetur pro fide, pro juſtitia, pro Deo, illa patientia doloris beatiſſimum faciet.

13.

Eſt enim Deus, qui ſolus poteſt honorare virtutem, cujus merces immortalitas ſola eſt [a]: quam qui non appetunt, nec religionem tenent, cui æterna ſubjacet vita, profecto neque virtutis vim ſciunt, cujus præmium ignorant, neque in cælum ſpectant, quod ipſi ſe facere putant, quum res non veſtigabiles [b] quærunt: quia ratio in cælum ſpectandi nulla alia eſt, niſi aut religionem ſuſci-

a *Immortalitas ſola eſt*: Scilicet beata quæ ab utraque morte corporali ſcilicet, & ſpiritali, de quibus ſupra Lactantius locutus fuerat, homines liberat.

b *Quum res non veſtigabiles*. Al. *inveſtigabiles*. Aldus legit nobiſcum. Cellarius, & Bunem. de uſu hujus vocis dubitant. At Apulejus VI. Metam. p. 113. Elmenh. habet: *veſtigationibus inquieta*. Confer Lang. Lambin., & Græv. ad Cic. I. Offic. 28. Virgil. XII. æn. 557. *veſtigans*.

ſuſcipere [c], aut animam ſuam immortalem eſſe credere.

c *Aut religionem ſuſcipere*. Rivetus in notis ſuis Mss. *ſuſpicere* apud Gallæum.

14.

Quisquis enim aut Deum colendam eſſe intelligit, aut immortalitatis ſpem ſibi propoſitam habet, mens ejus in cælo eſt: & licet id non aſpiciat oculis, animæ tamen lumine aſpicit.

15.

Qui autem religionem non ſuſpiciunt, terreni ſunt, quia religio de cælo eſt: & qui animam putant cum corpore interire, æque in terram ſpectant, quia ultra corpus, quod eſt terra, nihil amplius vident, quod ſit immortale.

16.

Nihil igitur prodeſt, hominem ita eſſe fictum [a], ut recto corpore ſpectet in cælum, niſi erecta mente Deum cernat, & cogitatio ejus in ſpe vitæ perpetuæ tota verſetur.

a *Ita eſſe fictum*. Al. *factum*. Al. *figuratum*.

CAP. XXVIII.

1.

Quapropter nihil aliud eſt in vita, quo conditio noſtra nitatur, niſi Dei, qui nos

nos generavit [a], agnitio, & religioſus, ac pius cultus: unde quoniam philoſophi aberraverunt, hi ſapientes [b] utique non fuerunt.

a *Qui nos generavit*. Sic etiam Aldus. Jam ſupra diximus ad Caput XIV. hujuſce III. libri ſeg. 10. verbum *generare* uſurpatum a Cicerone fuiſſe pro *creare* Al. legunt *genuit* Vide etiam ad L. V. cap. XV. Al. XIV. ſeg. 16.

b *Hi ſapientes non fuerunt*. Al. Tò *hi* non habent.

2.

Quæſierunt illi quidem ſapientiam: ſed quoniam non rite quærebant [a], prolapſi ſunt longius, & in tantos errores [b] inciderunt, ut etiam communem ſapientiam non tenerent.

a *Quoniam non rite quærebant*. Al. *quia non rite* &c.

b *Et in tantos errores*. Al. *in maximos* Al. *in altos errores*.

3.

Non enim tantum religionem aſſerere noluerunt, verum etiam ſuſtulerunt, dum ſpecie falſæ virtutis [a] inducti, conantur animos [b] omni

a *Dum ſpecie falſa virtutis*. Bon. *falſa*. Al. *virtutis falſa*.

b *Conantur animos omni metu liberare, quæ religionis everſio eſt* &c. Hi ſunt viri illi fortes, & libere cogitantes, de quibus in noſtra Iſagoge, & ad L. II. cap. IX. Al. VIII. ſeg. 14., & in hoc Libro cap. XVII. ſeg. 5. & 42. cap. XXVII. ſeg. itidem 5. egimus, quorum

omni metu liberare, quæ religionis everſio, naturæ nomen invenit [c].

rum Primipilus fuit Epicurus; etſi non omnes deinde a tam impio præceptore ſe inſtitutos eſſe videri volunt, & aliunde quam ab eo nomina ſibi imponunt; omnes vero cum Lucretio canunt L. I. ỳ. 79.

Quare Relligio pedibus ſubjecta viciſſim
Obteritur; nos exæquat victoria Cælo.

c *Naturæ nomen invenit*: Vide Iſagogen noſtram §. VII., & quæ infra expoſituri heic ſumus. Adde etiam & L. II. cap. IX. Al. VIII. ſeg. 14. & *de Ira Dei* cap. X. ſeg. 34.

4.

Illi enim, quum ignorarent, a quo eſſet effectus mundus, aut perſuadere vellent, nihil eſſe divina mente perfectum, naturam eſſe [a] dixerunt rerum omnium matrem, quaſi dicerent, omnia ſua ſponte eſſe nata: quo verbo plane imprudentiam ſuam confitentur. Natura enim, remota providentia, & poteſtate divina, prorſus nihil eſt [b].

a *Naturam eſſe .... rerum omnium Matrem*: expreſſe Lucretius de terra L. II. ỳ. 598.

Quare magna Deum matrem; materque ferarum,
Et noſtri genetrix hæc eſt dicta corporis una.

Inter recentiores hujus impietatis aſſertores, qui naturam rerum omnium pro Deo habent, recenſentur Julius Cæſar Vanninus, Benedictus Spinoza, & omnium peſſimus Jo. Tolandus, de quibus aliqua in noſtræ Iſagoge §. XXII., & diſſ.XXVII. cap. I. dicta ſunt.

b *Natura enim, remota providentia, & poteſtate divina, nihil eſt*. Quid ad hæc Betulejus, & ejus ex-

exſcriptor Langlet? Tacent omnino, ubi palinodiam recantare debuerant ob impactam Lactantio calumniam; quaſi philoſophorum de naturæ ratione opiniones miſcuiſſet; quum potius is detegiſſet illorum errores, qui naturam cum Deo inique miſcebant.

5.

Quod ſi Deum naturam vocant, quæ perverſitas eſt, naturam potius, quam Deum nominare? Si autem natura eſſet ratio [a], vel neceſſitas, vel conditio naſcendi, non eſt per ſe ipſa ſenſibilis [b]: ſed neceſſe eſt [c], mentem eſſe divinam, quæ ſua providentia naſcendi principium rebus omnibus præbeat. Aut ſi natura eſt cælum, atque terra, & omne, quod natum eſt [d], non eſt Deus natura, ſed Dei opus.

a *Si autem natura eſſet ratio*. Al. *ratio eſt*.

b *Non eſt per ſe ipſa ſenſibilis*. Al. *per ſe ipſam*: ſenſus noſtræ lectionis eſt: ipſa ex ſe non habet unde ſentiant.

c *Sed neceſſe eſt*. Al. *quia neceſſe eſt*.

d *Et omne, quod natum eſt*. Naturam, hac ratione acceptam, ſive Cælum, terram, & quæ in his continentur, Deum eſſe, Seneca manifeſte dixit Epiſt. XCVII. ubi ait: *Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus eſt*. Adde quæ idem de natura dixit L. II. Al. VIII. ſeg. 23.

6.

Non diſſimili errore credunt, eſſe fortu-

 nam [a],

a *Credunt, eſſe Fortunam*. Aliquid de ea diximus ad

nam, quaſi deam quamdam, res humanas variis caſibus illudentem; quia neſciunt, unde ſibi bona, & mala eveniant.

ad L. II. cap. VIII. ſeg. II., Plura heic cap. ſeq. vide tamen diſſ. XXVII. cad. XI.

7.

Cum hac ſe compoſitos ad præliandum putant [a], nec ullam tamen rationem reddunnt, a quo, & quam ob cauſſam, ſed tantum cum fortuna ſe digladiari momentis omnibus gloriantur.

a *Cum hac ſe compoſitos ad præliandum putant*. Bon. *cum hanc* Seneca L. *de Prov.* cap. II. *Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala Fortuna compoſitus*. Quaſi cum gladiatore Gladiator, ut ibidem notavit Muretus.

8.

Jam quicunque alios ſunt conſolati [a] ob interitum, amiſſionemque charorum, fortunæ nomen acerrimis accuſationibus proſciderunt: nec omnino ulla eorum diſputatio de virtute eſt, in qua non fortuna vexetur [b].

a *Sunt conſolati*. Al. *conſolati ſunt*.

b *In qua non fortuna vexetur*. Bon. habet *verſetur*: forte non male. Al. *vertetur*. Al. *vitietur*. Aldus nobiſcum legit.

9.

M. Tullius in ſua conſolatione pugnaſſe ſemper contra fortunam loquitur, eamque a

ſe

ſe eſſe ſuperatam; quum fortiter inimicorum impetus retudiſſet, ne tunc quidem [a] ſe ab ea fractum, quum domo pulſus, patria caruit, tum autem; quum amiſerit chariſſimam filiam; victum ſe a fortuna turpiter confitetur: *Cedo*, inquit; *& manum tollo* [b].

a *Ne tunc quidem*. Al. *ne tu quidem*. Al. *nec tum quidem*.

b *Cedo*, inquit: *& manum tollo*. Sic Aldus Al. *En manum tollo*: Franciſcus Petrarca L. VIII. Senil. Epiſt. 1. *Cedo*, ait, *ego igitur volens, ne coactus cedam: Cedo, inquam, & manus tollo, non fortunæ, ut Cicero; ſed naturæ*.

10.

Quid hoc homine miſerius, qui ſic jaceat? Inſipienter, inquit [a]; ſed qui ſe profitetur [b] eſſe ſapientem. Quid ergo ſibi vult aſſumptio nominis? Quid contemptus ille rerum, qui magnificis verbis prætenditur? Quid diſpar cæteris habitus? Aut cur omnino præcepta ſapientiæ datis [c], ſi nemo, qui ſapiat [d], adhuc inventus eſt? Et quiſquam nobis invidiam facit, quia philoſophos negamus eſſe ſa-

a *Inſipienter, inquit*, Al. *inquis*.

b *Sed qui ſe profitetur*. Al. *profitetur ſe*. Al. punctum interrogationis addunt.

c *Præcepta ſapientiæ datis*. Al. *dat*. Al. *data ſunt*. Al. *dantur*.

d *Si nemo adhuc qui ſapiat*: Al. adverbium poſtponunt.

ſapientes? quum ipſi nec ſcire ſe quicquam, nec ſapere fateantur.

11.

Nam ſi quando ita defecerint, ut ne fingere [a] quidem quicquam poſſint, quod faciunt in rebus cæteris: tum vero ignorantiæ admonentur, & quaſi furibundi exiliunt, & exclamant, ſe cæcos eſſe, & excordes.

a *Ut ne fingere*. Bon. *adfingere*. Al. *effingere*. Al. *afficere*. Noſtra lectio optima, & Ciceroniana, nam Tullio uſitata, cui *affingere hominum mores*: idem eſt, ac *aſſimulare* v. L. II. *de Orat.*

12.

Anaxagoras pronuntiat: *circumfuſa eſſe tenebris omnia* [a]. Empedocles *anguſtas eſſe ſenſuum ſemitas*, *queritur*, tanquam illi ad cogitandum rheda, & quadrigis opus eſſet.

a CIRCUMFUSA ESSE TENEBRIS OMNIA. Cicero L. IV. *Acad. quæſt. Latent*, inquit, *iſta omnia craſſis occulta, & circumfuſa tenebris*. Vide etiam L. I. ubi hoc idem aſſeruit, ultra Anaxagoram profeſſos fuiſſe Socratem, Democritum, & Empedoclem.

13.

Democritus *quaſi in puteo* [a] *quodam ſic alto, ut fundus ſit nullus, veritatem jacere demerſam*: nimirum ſtulte, ut cætera.

Non

a *Quaſi in puteo* &c In quodam fragm. *quæſt. Acad. Naturam accuſat, quæ in profundo veritatem, ut ait Democritus, penitus abſtruſerit*.

14.

Non enim [a] tanquam in puteo demerſa eſt veritas, quo vel deſcendere, vel etiam cadere illi licebat, ſed tanquam in ſummo montis excelſi vertice, vel potius in cœlo: quod eſt veriſſimum.

---

a *Non enim*: Vide Iſagen noſtram §. LI.

15.

Quid enim eſt, cur eam potius in imum depreſſam diceret, quam in ſummum levatam? niſi forte mentem quoque in pedibus, aut in imis calcibus [a] conſtituere malebat potius, quam in pectore, aut in capite?

---

a *In imis calcibus*. Sic Lucretius L. III. ỷ. 792.
. . . . . *Multo prius ipſa animi vis*
In Capite, *aut humeris*, aut imis calcibus *eſſe*
Poſſet . . . .
Vide tamen Longinum de ſublimitate §. 38. ubi ſub initio huic ſimile vitioſæ hyperbolis exemplum affert.

16.

Adeo remotiſſimi fuerunt ab ipſa veritate, ut eos ne ſtatus quidem ſui corporis [a] admoneret, veritatem in ſummo illis eſſe quærendam.

Ex

---

a *Ne ſtatum quidem ſui corporis* &c. Nempe erecti: quod ſæpe repetit.

17.

Ex hac deſperatione confeſſio illa Socratis [a] nata eſt, qua ſe nihil ſcire dixit, niſi hoc unum, quod nihil ſciat. Hinc Academiæ diſciplina manavit, ſi tamen diſciplina dici poteſt, in qua ignoratio & diſcitur, & docetur [b].

a *Confeſſio illa Socratis*. Eam legas apud Platonem in Apolog. Socr., in *Phædone*, & apud Cicer. L. 1. *Acad. quæſt.*

b *Ignoratio & diſcitur, & docetur*. Al. *dicitur*.

18.

Sed ne illi quidem, qui ſcientiam ſibi aſſumpſerunt, id ipſum, quod ſe ſcire putabant, conſtanter defendere potuerunt [a].

a *Defendere potuerunt*. Al *poterant*.

19.

Qui, quoniam ratio illis non quadrabat [a], per ignorantiam rerum divinarum tam varii, tam incerti fuerunt, ſibique ſæpe contraria diſſerentes, ut quid ſentirent, quid vellent, ſatis ſtatuere, ac dijudicare non poſſit [b].

Quid

a *Non quadrabat*. Al. *an quadrabat?* Wal. *tum quadrabat*.

b *Statuere, ac dijudicare non poſſit*: Al. *ſatis ſtatuere* &c. Al. *poſſis*. Indicium ignorantiæ manifeſtum, vel malitiæ, quum talia proferuntur, quæ in utramque partem ſumi poſſint, eſſe dicitur.

20.

Quid igitur pugnes adverſus homines eos, qui ſuo ſibi gladio pereunt? Quid labores, ut eos deſtruas, quos ſua ipſos deſtruit, atque affligit oratio? *Ariſtoteles* (inquit Cicero) *veteres philoſophos accuſans, ait, eos aut ſtultiſſimos, aut glorioſiſſimos fuiſſe, qui exiſtimaſſent, philoſophiam ſuis ingeniis eſſe profectam: ſed ſe videre, quod paucis annis magna acceſſio facta eſſet* [a], *brevi tempore philoſophiam plane abſolutam fore*.

a QUOD PAUCIS ANNIS MAGNA ACCESSIO FACTA ESSET. Quolibet ſæculo, in quo literis, & bonis artibus opera data eſt, hocce effatum Scholarum magiſtri in vulgus jactarunt; ſed longe adhuc a perfecta rerum naturalium cognitione diſtamus, ut ipſimet fatentur, qui in illarum ſtudio diu verſati ſunt. Vide Iſag. noſtram §. LXI.

21.

Quod igitur fuit [a] illud tempus? quo more? quando eſt [b], aut a quibus abſoluta? Nam quod ait, ſtultiſſimos fuiſſe, qui putaſſent ingeniis ſuis perfectam eſſe ſapientiam, verum eſt: ſed ne ipſe quidem ſatis prudenter, qui aut a veteribus cœptam, aut a novis auctam, aut mox a poſterioribus perfectum iri, putavit.

a *Quod igitur fuit* &c. Bon. *Quid igitur* &c.

b *Quando eſt* &c. Ante hæc verba quidam legunt: *quo more?* Al. *quo in ore*: Heum. *qua in ora*. At nihil hujuſmodi in noſtro Cod., & Aldus ea delevit.

22.

Nunquam enim poteſt inveſtigari, quod non per viam ſuam [a] quæritur.

a *Non per viam ſuam.* Scientia quippe per demonſtrationem cauſſæ procedit. Fides per revelationem.

C A P. X X I X.

1.

SEd repetamus id, quod omiſimus. Fortuna ergo per ſe nihil eſt: nec ſic habendum eſt, tanquam ſit in aliquo ſenſu [a]: ſiquidem fortuna eſt accidentium rerum ſubitus, atque inopinatus eventus [b].

a *Tamquam ſit in aliquo ſenſu*: Heum. mallet: *tamquam ſit illi aliquis ſenſus*. Sed mentem Lactantii non eſt aſſecutus, quum allata verba nihil aliud ſignificent, niſi Fortunam in nullo *mentis conceptu* aliquid re vera eſſe.

b *Fortuna eſt accidentium rerum ſubitus, atque inopinatus eventus*. Receptiſſima hæc eſt fortunæ definitio, quam Cicero explicat L. II. *de Divin.* hiſce verbis: *Quid eſt aliud ſors, quid fortuna, quid caſus, quid eventus; niſi quum ſic aliquid cecidit, ſic evenit, ut vel non cadere, atque evenire; vel aliter cadere, atque evenire potuerit?*

2.

Verum philoſophi, ne aliquando non errent [a], in re ſtulta volunt eſſe ſapientes; qui

a *Ne aliquando non errent*: Bon. *ne aliquando non eſſent &c.*

qui fortunæ ſexum mutant [b], eamque non deam, ſicut vulgus, ſed Deum eſſe dicunt [c].

b *Qui Fortunæ ſexum mutant*. Romanos coluiſſe olim Fortunam muliebrem, atque virilem, teſtis eſt Plutar. in lib. *de Romanorum Fortuna*, ubi etiam de Anco Martio mentionem fecit, qui Maſculæ Fortunæ Templum excitavit. L.II 8. 11. Adde Ovidium L. IV. Faſtor. p. 570. ℣. 21. ſeq. ubi exponit, quid præſtaret fœminis Fortuna Virilis dum Kalendis Aprilis prope illius templum lavabantur.

c *Sed Deum eſſe dicunt* &c. Hæc, & quæ ſequuntur, ſententiam Ciceronis exprimunt, cujus & verba aliqua Noſter retinuit, & nos diverſo charactere exprimi voluimus, ut oſtenderemus, quam immerito Betulejus, qui hanc Tullii ſententiam recitavit, ex nullo philoſophorum id factum eſſe, ſe legiſſe profitetur. Verba Ciceronis hæc ſunt: *Partes autem eſſe mundi, omnia, quæ inſunt in eo, quæ natura ſenſiente, teneantur in ea, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſepiterna (Nihil enim valentius, a quo intereat) quam vim animum dicunt eſſe mundi, eandemque eſſe mentem, ſapientiamque perfectam, quem Deum appellant* &c. Poſt panca vero proſequitur: *Nonnunquam quidem eandem Fortunam* &c. Quid clarius legi poterat, quum ibidem de philoſophorum placitis ſermo eſſet?

3.

Eundem tamen interdum naturam, interdum fortunam vocant: *quod multa* [a] (inquit

a *Quod multa* &c. En verba ipſa Tullii, quibus rationem reddit, quare vim, illam, & mentem, qua mun-

quit idem Cicero) *efficiat inopinata nobis propter obſcuritatem, ignorationemque cauſſarum*. Quum igitur cauſſas ignorent, propter quas fiat aliquid, & ipſum, qui faciat, ignorent neceſſe eſt.

mundi partes tenebantur, & Deum eſſe dicebant, & *Fortunam* quoque appellabant. Deprompta hæc ſunt ex L. I. *Acad. quæſt.*

4.

Idem in opere valde ſerio [a], in quo præcepta vitæ deprompta ex philoſophia filio dabat; *Magnam, inquit, eſſe fortunæ vim in utranque partem, quis neſciat? Nam & quum proſpero flatu ejus utimur, ad exitus pervenimus [b] optatos: & quum reflaverit [c], affligimur.*

a *Idem in opere valde ſerio*: Nempe L. II. *de Offic.*

b Pervenimus: Al. *pervehimur*: Bene quidem; ſed Mss. Codd. nihil immutare permittunt.

c Et quum reflaverit: Bon. *aſpiravit*. Al. *reſpiraverit*. Sequor editas Cicer. lectiones.

5.

Primum, qui negat ſciri poſſe quicquam, ſic hoc dixit, tanquam & ipſe, & omnes ſciant. Deinde, qui, etiam, quæ clara ſunt, dubia conatur efficere, hoc putavit eſſe clarum, quod illi eſſe debuit vel maxime dubium: nam ſapienti omnino falſum eſt.

Quis

6.

Quis [a], inquit, *neſcit?* Ego vero neſcio. Doceat me (ſi poteſt) quæ ſit illa vis, qui flatus iſte, & qui reflatus. Turpe igitur eſt, hominem ingenioſum ita id dicere [b], quod ſi neges, probare non poſſit.

---

a Quis, inquit, nescit? Al. *neſciat?* Al. *ignorat*. Idem Cicero ubi ſupra.

b *Ita id dicere*. Al. omiſſo *ita* legunt *dicere id*,

7.

Poſtremo, quod is, qui dicit, aſſenſus eſſe retinendos, quod ſtulti ſit hominis [a], rebus incognitis temere aſſentiri: is plane vulgi [b], & imperitorum opinionibus credidit, qui fortunam putant eſſe, quæ hominibus tribuat bona, & mala, nam ſimulachrum ejus [c] cum copia, & gubernaculo, fingunt,

---

a *Quod ſtulti ſit hominis*: Bon. *hominibus*. Al. *omnibus*: Forte non male.

b *Is plane vulgi*. Iſæus legit. *Is inquam plane* &c Aldus delet Tò *inquam*.

c *Nam ſimulachrum ejus cum cornu, & gubernaculo fingunt*. Obviam Fortunæ imaginem, quam nobis exhibent pictores, fictoreſque noſtri, huic Lactantii ſimulacro eſſe diſſimilem, ſatis liquet; ſiquidem quæ rotæ volubili inſiſtit, cæca apparet, & calva; niſi quod fronti ejus capillorum aliqui volitantes videntur. Hanc autem novam imaginem malæ fortunæ eſſe conjicio ex verbis Plinii L. II. c. VII. ubi

gunt, tanquam hæc & opes tribuat, & humanarum regimen ° obtineat,

ubi ait: *Febri fanum in Palatio dicatum eſt, Orbonæ ad ædem Larium ara, & malæ Fortunæ Exquiliis;* Nam Cicero L. III. *de Nat. Deor.* de ara dicata ad ædem Larium loquens, pro *Orbonæ*, ponit *Malæ Fortunæ Æſquiliis*. En ejus verba: *Eos enim, qui Dii appellantur, rerum naturas eſſe, non figuras Deorum. Qui tantus error fuit, ut pernicioſis etiam rebus non nomen ſolum tribueretur Deorum, ſed etiam Sacra conſtituerentur. Febris enim fanum iu Palatio ad ædem Larium, ET ARAM MALÆ FORTUNÆ ÆSQUILIIS conſacratam videmus*. Simulacrum vero, de quo hæic Lactantius loquitur, Volaterranus ex Pauſania deſcribit, tamquam fictum apud Smyrneos a quodam, cui nomen Bupalus. Eidem ex Galeno gubernaculum addunt, effigiemque ex nummis antiquis exhibent Granov. ad Senecæ Medeam 1. 65. Montfancon *Antiq. explan.* Tom. 1. illud tribuunt bonæ fortunæ.

d *Cum copia & Gubernaculo*. Schottus legit, *cum Copiæ Cornu*. Fabulam damus ex Hyg. XXXI. *Achelous fluvius in omnes figuras ſe immutabat. Hic cum Hercule propter Dejaniræ conjugium quum pugnaret, in Taurum ſe convertit, cui Hercules cornu detraxit, quod cornu Heſperidibus, ſive Nymphis donavit, quod Deæ pomis repleverunt, & CORNU COPIÆ appellarunt.* Statius vero Thebaidos L. IV. ℣. 106. dicit: Cornu illud dono a Nimphis datum fuiſe Puellæ, cui nomen *Copia*, quæ eſt miniſtra Fortunæ. Hinc Horat. L. 1. Ode XVII. ℣. 14.

. . . . *Hinc tibi Copia*
Manabit ad plenum, benigno
Ruris bonorum opulenta cornu.

Alii

Alii diverſimode iſta narrant, quos vide apud Scholiaſtes Hygini, Horat. & Ovidii metam. L. IX. &c. Lactantius *Copium* uſurpat pro ipſo *Cornu Copiæ*.

e *Et humanarum rerum regimen*. Al. *regionem* habent pro *regimen*.

8.

Cui opinioni & Virgilius aſſentit, qui fortunam omnipotentem vocat a: & hiſtoricus, qui ait b: *Sed profecto fortuna in omni re dominatur*.

a *Qui fortunam omnipotentem vocat*. Æn.L.VIII. ℣. 334.

Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem
Fortuna omnipotens, ineluctabile fatum
His poſuere locis,

Ubi ſervius: *Secundum Stoicos locutus eſt, qui naſci, & mori Fatis dant: media omnia Fortunæ. Nam vitæ humanæ incerta ſunt omnia: unde & miſcuit, ut quaſi plenum oſtenderet dogma*.

b *Et hiſtoricus, qui ait*: Bon. *Stoicus*. Verba, quæ heic a noſtro recitantur, ſunt Salluſtii hiſtoricorum Latinorum laudatiſſimi, quem noſter L. II. cap. XII. ſeg. 12. *Hominem nequam* appellat. Nos de eodem ad L. I. cap. XXI. ſeg. 41. diximus.

9.

Quid ergo cæteris diis loci ſupereſt? Cur non aut ipſa regnare a dicitur, ſi plus poteſt, aut ſola colitur, ſi omnia? Vel, ſi tantum

a *Ipſa regnare*: Heum. *ipſi regnare*.

tum mala immittit [b], aliquid cauſſæ profe-rant, cur, ſi dea ſit, hominibus invideat, eoſque perditos cupiat, quum ab his reli-gioſe colatur: cur æquior ſit malis, iniquior autem bonis: cur inſidietur, affligat, de-cipiat, & exterminet.

b *Immittit*. Bon. *immo*.

10.

Quis illam generi hominum [a] vexatricem perpetuam conſtituerit: cur denique tam multam ſortita ſit poteſtatem [b]: *ut res cun-ctas ex libidine magis, quam ex vero cele-bret, obſcuretque*.

a *Quis illam generi hominum*. Bon. *generis*.

b *Tam multam ſortita ſit poteſtatem*. Sic omnino legendum puto cum noſtro, pluribuſque codicibus Mss., ubi Al. legunt: *tam malam*, quæ lectio cum ſequentibus non adeo bene congruit: ſcil. *ut res cunctas* &c.

11.

Hæc inquam philoſophos inquirere opor-tuit potius, quam temere innocentem ac-cuſare fortunam [a], quæ etiam ſi ſit aliqua, nihil tamen afferri ab his poteſt, cur homi-nibus tam inimica ſit, quam putatur.

a *Innocentem Fortunam*: ſcilicet quæ nec nocere, nec juvare valet.

12.

Itaque illæ omnes rationes, quibus ini-

qui-

quitatem fortunæ lacerant [a], ſe ſuaſque virtutes contra fortunam ſuperbiſſime jactant, nihil aliud ſunt, quam deliramenta inconſideratæ levitatis.

a *Iniquitatem fortunæ lacerant*. Valer. Max. L IV. c. IV. *Quid Fortunam, quaſi præcipuum generis humani malum diuturnis conviciis laceramus?*

13.

Quare non invideant nobis, quibus aperuit veritatem Deus: qui ſicut ſcimus, nihil eſſe fortunam, ita ſcimus eſſe pravum, ac ſubdolum ſpiritum, qui ſit inimicus bonis, hoſtiſque juſtitiæ, qui contraria faciat, quam Deus [a], cujus invidiæ cauſſam in ſecuudo libro [b] explicavimus.

a *Qui contraria faciat, quam Deus*. Tò *quam* eandem vim habet, quam heic haberet *ac*, ſeu *atque*. Schottus ait. *Barbari dicunt contrarium facere quam* At Cellar. Heum. Walch. Bunem. relato Ciceronis exemplo ex cap. III. *Orat. pro Cluentio*, & ex L. II. *de Orat.* ubi habetur: *Contra quam fas erat*: addunt: *Quid ni & contrarius quam: ſicut cum AC & ATQVE, eadem notione licitum ſit dicere?*

b *In ſecundo libro*. A cap. IX.

14.

Hic ergo inſidiatur univerſis: ſed eos, qui Deum neſciunt, errore impedit, ſtultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis poſſit ad divini nominis pervenire notitiam:

in quo uno, & ſapientia continetur, & vita perpetua [a].

a *Divini nominis pervenire notitiam; in quo uno & ſapientia continetur, & vita perpetua*. Scil. in nomine *JESU* Reparatoris noſtri, de quo vide S. Bernardinum Senenſ. in ſermonibus de hoc potentiſſimo nomine, de quo infra L. IV. cap. XXVII. Al. *numinis*.

15.

Eos autem, qui Deum ſciunt, dolis, & aſtu [a] aggreditur, ut cupiditate, ac libidine irretiat, ac peccatis blandientibus [b] depravatos impellat ad mortem: vel ſi dolo nihil profecerit, vi, & violentia deiicere conatur [c].

a *Dolis & aſtu*. Al. *aſtutia*. Al. *aſtutiis*. Aldus nobiſcum legit.

b *Ac peccatis blandientibus*: Sic etiam Aldus; ubi Al. *peccati blandimentis*.

c *Vi, & violentia dejicere conatur*. Bon. *decedere* Al. omiſſis prioribus verbis legunt: *violentia decedere*. Al. *violentia dejicere*. Intellige perſecutorum.

16.

Iccirco enim in primordiis transſgreſſionis [a] non ſtatim [b] ad pænam detruſus a Deo eſt,

a *In primordiis tranſgreſſionis*. Hanc vocem, tamquam Eccleſiaſticam notat Walchius; at eam pro tranſitu uſurpavit Cicer. in Piſonem: *Cujus ego imperio non Alpium vallum contra aſcenſum, trangreſſionemque Gallorum*. Tranſlate ergo poni poteſt pro actu,

eſt, ut hominem malitia ſua exerceat, ad virtutem, quæ niſi agitetur, niſi vexatione aſſidua roboretur [c], non poteſt eſſe perfecta; ſiquidem virtus eſt perferendorum malorum fortis, ac invicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla ſit, ſi adverſarius deſit [d].

---

actu, quo divinæ legis ſemitam omnium primus Diabolus trangreſſus eſt. Immo Stoici dicebant: *peccare eſſe honeſti lineam tranſire*.

b *Non ſtatim ad pœnam detruſus eſt*. Non heic Lactantium loqui de pœna *eſſentiali* bene obſervat Iſæus, ut explicavimus diſſ. xxvi. §. xxiv. relate ad ea, quæ habet Noſter L.II. c. xv., & L. vii. c. xxvi. quod etiam ab aliis notatum eſt.

c *Niſi vexatione aſſidua roboretur*. Al. *ni aſſidua vexatione* &c. Heic Gallæus ſuam nobis ſingularem eruditionem oſtendit, dicens: *Hoc falſum eſt*; *in Cælo enim non eſt vexatio*, *nec tamen virtus Beatorum imperfecta dicenda*. At non perfici poterit virtus in cælis, niſi in terris prius roboretur exercitio. Hinc Apoſtolus II. ad Corinth. xii. ℣. 9.

Virtus in infirmitate perficitur.

In contumeliis, *in neceſſitatibus*, *in perſecutionibus in anguſtiis pro Chriſto*. Non enim ſola fides otioſa; ſed opera bona ex gratia, & in gratia Dei facta, virtutes omnes per charitatem perficiunt, & mutuo perficiuntur.

d *Ex quo fit*, *ut virtus nulla ſit*, *ſi adverſarius deſit*. *Gallæus*, tanquam ex tripode: *falſa*, inquit, *hæc Lactantii eſt doctrina*; cui ejus exſcriptor Langletius hanc ſubdit explicationem dicens: *virtus quidem eſt*: *ſed ſine adverſario vires ſuas non exerit*. Poſito tamen, quod heic Lactantius non loquatur de virtute infuſa, cujus nullam habebant Ethnici no-

titiam; utrumque errare, facile demonſtrabimus; nam vel de virtute acquirenda ſermo eſt, vel de jam acquiſita. Si de acquirenda, jam nunquam adipiſcetur ab eo, qui adverſario caret, quum in actus eos non exerat, quibus eam gigni neceſſe eſt, ex vulgatiſſimo illo axiomate: *ex replicatis actibus fit habitus*. Si autem de jam acquiſita intelligatur, hæc, teſte Seneca, paullatim deficit, exercitio deficiente; etenim ait: L. de Providentia c. II. *Marcet ſine adverſario virtus*; ac proinde veriſſima erit Lactantii ſententia quocumque modo ſumatur. Maxime quum de patientia, & fortitudine agatur, quæ virtutes luctando exercentur.

17.

Hujus itaque perverſæ poteſtatis quum vim ſentirent virtuti repugnantem, nomenque ignorarent, fortunæ vocabulum ſibi inane finxerunt. Quod quam longe a ſapientia ſit remotum, declarat Juvenalis his verſibus:

Nullum numen habes a, *ſi ſit prudentia: ſed nos* b
Te facimus c *Fortuna deam* d, *cæloque locamus*.

Stul-

a NULLUM NUMEN HABES. Al. *abeſt*. Al. *adeſt*. Noſtra lectio melioribus placet, & magis eſt ſenſui accomodata utriuſque ſcriptoris. De Juvenale vide diſſ. XI. cap. XXII. §. XXI. *& Verſ. Satyr. x. fin.*

b *Sed nos*. Bon. *Te nos*.

c *Te facimus*. Bon. *nos facim*.

d *Fortuna Deam*. Bon. *fortunata*. Al. *Deum*.

18.

Stultitia igitur, *& error*, *& cæcitas*, *&* (ut Cicero ait [a]) *ignoratio rerum*, *atque cauſſarum*, *naturæ*, *ac fortunæ nomina induxit*.

a *Ut Cicero ait*: ſcil. ubi ſupra L.I. Acad. quæſt.

19.

Sed ut adverſarium ſuum neſciunt, ſic nec virtutem quidem [a] ſciunt, cujus ſcientia ab adverſarii notione deſcendit. Quæ ſi conjuncta eſt [b] cum ſapientia, vel (ut ipſi dicunt) eadem ipſa ſapientia eſt [c]: ignorent neceſſe eſt, in quibus rebus ſita ſit [d].

a *Ne virtutem quidem*. Al. *nec virtutem* &c.
b *Quæ ſi conjuncta eſt*: Bon. *Idque* ſi &c.
c *Eadem ipſa ſapientia eſt*: Bon. ablato verbo, cætera quarto caſu deformat.
d *Sita ſit*. Bon. primam vocem omittit.

20.

Nemo enim poteſt veris armis inſtrui, ſi hoſtem, contra quem fuerit armandus, ignorat: nec adverſarium vincere, qui in dimicando non hoſtem verum, ſed umbram petit. Proſternetur enim, qui alio intentus venientem vitalibus ſuis ictum nec prævideritante, nec caverit [a].

CAP.

a *Nec caverit*: Bon. *necaverit*. Al. *nec curaverit*.

C A P. X X X.

1.

DOcui,quantum mea mediocritas tulit [a], longe devium philoſophos iter a veritate tenuiſſe. Sentio tamen [b], quam multa præterierim,quia non erat mihi propria contra philoſophos diſputatio [c].

a *Quantum mea mediocritas tulit*: Ad L. *DE OPIF. DEI* cap. I. ſeg. 1. hanc vocem, & dicendi modum vindicavimus adverſus Walchium, qui: *ad latinitatem cadentem pertinere*, ait, *frequentiam titulorum. quum per formam abſtracti efferuntur*. Vide infra ad L. VI. c. I. 3.

b *Sentio tamen*. Al. *ſcio*. Al. *Non ſum tamen neſcius*. Aldus legit nobiſcum.

c *Quia non erat mihi propria contra Philoſophos diſputatio*. Philoſophi enim contra Fortunam non lamentabantur, præſertim Stoici. Vide Senecam in L. *de Providentia*; neque heic huic quæſtioni proprius locus erat, ut bene vidit Lactantius ipſe, qui ideo optimi Oratoris inſtar ſe excuſat propterea quod materiam attigit, quæ extranea a ſuo argumento videri poterat.

2.

Sed huc neceſſario devertendum [a] fuit, ut oſtenderem, tot, & tanta ingenia in rebus falſis eſſe conſumpta, ne quis forte a pravis re-

a *Devertendum*. Al. *divertendum*.

religionibus excluſus, ad eos ſe conferre vellet, tanquam certi aliquid reperturus.

3.

Una igitur ſpes hominis [a], una ſalus in hac doctrina, quam defendimus, poſita eſt. Omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut Deum cognoſcat, & colat: hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt.

a *Una igitur ſpes hominis*. Al. *homini*.

4.

Quanta itaque voce poſſum teſtificor, proclamo, denuntio [a]. Hic [b], hic eſt illud, quod philoſophi omnes in tota ſua vita quæſierunt, nec unquam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valverunt, quia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt.

a *Teſtificor, proclamo, denuntio*. Cicer. fere eadem habet Philip. VI.
b *Hic, hic eſt illud*. I. E. *Heic*. Nobiſcum Aldus. Al. *Hoc*. Al. *hoc eſt*.

5.

Faceſſant igitur illi omnes, qui humanam vitam non inſtruunt, ſed turbant. Quid enim docent? aut quem inſtruunt, qui ſeipſos nondum inſtruxerunt? Quem ſanare ægroti, quem re-

regere cæci poſſunt ? Huc ergo nos omnes, quibus eſt cura [a] ſapientiæ, conferamus.

---

a *Quibus eſt cura*: Al. *curæ*.

6.

An expectabimus donec Socrates aliquid ſciat ? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat ? aut Democritus veritatem de puteo extrahat [a] ? aut Empedocles dilatet animi ſui [b] ſemitas ? aut Arceſilas, & Carneades videant, ſentiant, percipiant ?

---

a *De puteo extrahat*. Al. *trahat* Bon. non habet *de Puteo*.

b *Animi ſui* Bon. *Animæ ſuæ*.

7.

Ecce vox de cœlo veritatem docens, & nobis ſole ipſo clarius lumen oſtendens. Quid nobis iniqui ſumus, & ſapientiam ſuſcipere cunctamur ? quam docti homines contritis in quærendo [a] ætatibus ſuis, nunquam reperire potuerunt,

---

a *In quærendo*. Al. *inquirendo*.

8.

Qui vult ſapiens, ac beatus eſſe, audiat Dei vocem, diſcat juſtitiam, ſacramentum nativitatis ſuæ noſcat [a], humana contemnat, di-

---

a *Sacramentum nativitatis ſuæ noſcat*. Al. *novit*.

In-

divina ſuſcipiat, ut ſummum illud bonum, ad quod natus eſt, poſſit adipiſci.

Intellige Baptiſmum quod Sacramentum eſt veræ regenerationis, & ad vitam æternam prima nativitas.

9.

Diſſolutis religionibus univerſis, & omnibus quæcunque in earum defenſionem [a] dici vel ſolebant, vel poterant, refutatis: deinde convictis philoſophiæ diſciplinis, ad veram nobis religionem, ſapientiamque veniendum eſt, quoniam eſt (ut docebo) utrunque conjunctum [b], ut eam vel argumentis, vel exemplis, vel idoneis teſtibus aſſeramus, & ſtultitiam, quam nobis iſti deorum cultores objectare non deſinunt, ut nullam penes nos, ſic totam penes ipſos eſſe doceamus.

---

a *In earum defenſionem*: Al. *in earum defenſione*.
b *Utrumque conjunctum*. Al. *convictum*.

10.

Et quamquam prioribus libris, quum falſas arguerem religiones, & hic, quum falſam ſapientiam tollerem, ubi veritas ſit oſtenderim: planius tamen, quæ religio, & quæ ſapientia vera ſit, liber proximus indicabit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

Digitized by Google

4 - 3 - 4